MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81172-5

AUTHOR:

HAHNE, FRANZ

TITLE:

ORATIONEM PRO
M. MARCELLO QUAM...

PLACE:

BRUNSVIGAE

DATE:

1876

Master Negative #

93-81172-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hahne, Franz,

Orationem pro M.Marcello quam Frid.Aug.Wolfius a M.Tullio Cicerone abiudicavit, denuo defendit eamque eius putandam esse, cuius prae se ferat nomen, novis argumentis comprobare studuit Franciscus Hahne... Brunsvigae, typis M.Bruhnii, 1876.

55 p. 22 cm.

Thesis, Braunschweig.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm. REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-17-93 INITIALS JA

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Or. pro Marcello
delendat
Lehne.

No 5

Chas. Short 1879

5

ORATIONEM PRO M. MARCELLO

QUAM FRID. AUG. WOLFIUS A

M. TULLIO CICERONE

ABIUDICAVIT

DENUO DEFENDIT EAMQUE EIUS
PUTANDAM ESSE, CUIUS PRAE SE FERAT
NOMEN

NOVIS ARGUMENTIS COMPROBARE STUDUIT

FRANCISCUS HAHNE
WALKENRIEDENSIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IENENSI RITE IMPETRANDOS

CONSCRIPTA.

BRUNSVIGAE,
TYPIS M. BRUHNII.
1876.

Comparantes nos accuratius Ciceronis orationes, quales usque ad huius saeculi initium et in magistrorum et discipulorum manibus erant, cum eis, quibus hodie vulgo utimur, fugere non potest, haud parvum discrimen inter eas intercedere. In unaquaque fere pagina artis criticae iuvenimus vestigia, quae quantum profuerit ad opera Tullii emendanda inde ab illo tempore, non est, quod exemplis doceam, cum nemo sit, quin sciat, quot loci ei debeant suam integritatem, quot menda, quae per tot saecula interpretum ingenia deceperant, eius ope nunc detecta et remota sint. Nec mirum videtur, quod huius scriptoris potissimum homines docti percensendis et restituendis libris operam navaverunt. Cum enim huius elegantissimi oratoris exemplar semper ad imitandum proponerent, consentaneum erat, eos id maxime agere, ut corruptelas, quae aut librariorum negligentia et incuria irrepserant in libros manuscriptos, aut doctiorum grammaticorum explicandi studio ortae erant, indagarent et delendis illis verba ipsius auctoris ad integrum restituerent. Ac sane multa, in quibus usque ad id tempus nemo inhaesisset, recentiores critici, qui vocantur, accuratius sententiis et verbis perpensis edocebant a dicendi consuetudine Ciceronis prorsus abhorrere; quibus succurrebant aut meliorum codicum auxilio adiuti, aut ita, ut libros manuscriptos iam antea collatos denuo diligentius inter se compararent et novas atque aptiores eruerent lectiones. Alios locos sanaverunt mutando verborum ordine, alios distinguendi signis transponendis. Aliis denique locis, qui nisi artificiosissima interpretandi ratione intelligi et defendi non potuerunt, ita medebantur, ut codicum vestigia secuti probabiliora per coniecturam inferrent. Sed quid hoc pluribus exponam, cum satis constet, quanta in hanc partem sint criticorum merita? Nec refert, eorum nomina enumerare, qui praeter ceteros in illa arte exercenda vel factitanda excellentes exstiterunt et bene meriti sunt de Tullii orationibus. Unius

autem nomen silentio praeterire non possum F. A. Wolfii, quippe in quo non modo appareat, quantum possit in hoc genere et ingenii acies et percensendi iudicandique subtilitas, sed etiam in quanto periculo versentur, qui in eius modi rebus operam ponant, ne in periclitandis ingenii viribus modum excedant, et plus iusto suae doctrinae aut arbitrio tribuentes in gravissimos errores incidant, ita ut corrupta aeque atque integra ut inepta condemnent. — Innumeros errores quibus etiamtum homines docti capti tenebantur, Wolfius, ut erat singulari ingenii acumine praeditus et eximia linguae Graecae et Latinae scientia instructus, primus aperuit et sustulit, innumeris locis veterum scriptorum, qui obscuritate aliqua premebantur, lumen attutit, ut merito ei princeps locus inter criticos tribui videatur. Neque tamen minus eiusdem docet exemplum, quam facile ei, qui suum sensum solum ducem secuti id magis agant, ut inveniant, in quibus castigandis ingenii sui aciem ostentent et venditent, quam ut ea, quae tradita sint, recte interpretentur, quam facile, inquam, ei reprehendendi quadam cupiditate abrepti eo adducantur, ut non modo singulos locos eius libri, ad quem percensendum accesserint, sed totum librum ab eo scriptore, cuius vulgo prae se ferat nomen, abiudicent eoque indignum esse confirment. Quod accidisse viro docto putandum est in percensenda Ciceronis oratione, quae inscribitur pro M. Marcello. Hanc oratiunculam fere omnes, quotquot in Ciceronis scriptis legendis et explicandis versati erant, summis certatim laudibus semper extulerant et ut splendidissimum Tullianae eloquentiae exemplar praedicare consueverant; et quamquam exstiterant, qui intellexisse sibi viderentur, haec vel illa non ea, qua Cicero florere soleret, concinnitate et elegantia excellere, tamen nemo, quantum equidem scio, ante Wolfium inventus est, qui eiusmodi rebus adductus totam orationem summi illius oratoris esse negare eamque alicui insequentis aetatis declamatori tribuere auderet. Immo admirabantur viri docti eius singularem pulchritudinem, acquiescendum rati in veterum grammaticorum sententia, qui, ubi huius orationis mentionem faciunt, addito Ciceronis nomine testantur, neque se neque alios unquam de hoc auctore dubitasse. Itaque id magis egerunt usque ad huius saeculi initium, ut dissererent de sermonis splendore et quae minus in promptu essent divinae artis notae, eas explicando aperirent apertasque oculis minus acutis proponerent, quam ut quaererent, num recte oratio ab illo Romanorum dicendi artifice profecta putaretur. Tum subito F. A. Wolfius exstitit et omni

disputandi et argumentandi subtilitate adhibita ostendere conabatur, eam nullo pacto a Cicerone conscriptam dici posse; nam inanem esse rerum, verbis formulis constructionibus saepe vix Latinam, in tota compositione ineptam, stultam, ridiculam; denique fatuo principe, Claudio, quam Cicerone digniorem [1]). Se quidem dicit [2]) legendo et interpretando eo perductum esse, ut hunc libellum non modo Ciceroni omnibus modis abiudicandum, sed etiam genuinorum illius scriptorum et huius nullam nisi quandam coloris similitudinem esse videret, totumque tale, cuius vix aliquam partem scribere Cicero potuisset, si vigilans aut somnians hanc actionem scripto mandare voluisset. — Quo iudicio inaudito quam vehementer ei, qui ab ineunte aetate Marcellianam illam in orationum Tullianarum numero videre consuerant, commoti et perturbati sint, ex his Wormii [3]) verbis apparet: „Dicere vix possum, quid mihi perlecta Wolfii commentatione fuerit animi. Omnem certe hilaritatem pectore exturbavit et tristitiae quasi nebulam aliquamdiu animo offudit.“ Nec mirum; non potuerunt non maxime commoveri viri docti, cum a Wolfio praeter opinionem docebantur, se tamdiu in gravissimo errore versatos esse. Si ab alio illa suspicio mota esset, fortasse plerique eam minus curassent. Sed cum is sententiam illam protulisset, qui non mediocri esset inter aequales auctoritate et iam tum eximiae doctrinae floreret laude, atque in iudicio suo confirmando multis et illis quidem, quae aliquam probabilitatis speciem prae se ferre viderentur, argumentis usus esset, etiam intelligentioribus harum rerum existimatoribus scrupulus iniectus est, ita ut dubitare inciperent, utrum Wolfio assentirentur, an neglectis illius animadversionibus orationem illam in reliquarum Ciceronis orationum numero servarent. Neque tamen defuerunt, qui Marcellianam defendendam susciperent. Ac primus quidem eius exstitit defensor Olaus Wormius, cuius iam supra mentionem fecimus. Qui quamvis multa et illa quidem aptissima ad infirmandum Wolfii iudicium protulisset argumenta, tamen ei non contigit, ut omnes tolleret dubitationes. Itaque iterum B. Weiskius [4]) vir cum eximia eruditione tum singu-

1) cf. Wolf. edit. (Berol. 1802) praefat. pag. 36.
2) ibid. pag. 16.
3) M. Tullii Ciceronis orationem pro M. Marcello *νοθείας* suspicione a Frid. Aug. Wolfio v. c. nuper iniecta liberare conatus est Olaus Wormius (Havniae 1803) cf. Praefat. p. 13.
4) Commentarius perpetuus et plenus in orationem M. Tullii Ciceronis pro M. Marcello auctore Benjamin Weiske. Lipsiae 1805.

lari generis Tulliani scientia instructus orationem defendit et quacunque ratione potuit, eam non modo a Cicerone scribi potuisse sed etiam revera habitam et litteris mandatam esse, comprobare studuit. Atque habuit eius argumentandi ratio tantam persuadendi vim, ut plerique perlecto illo commentario confiderent, non iam de Cicerone auctore dubitari posse. Quae spes eos fefellit. Paullo post enim G. L. Spaldingius acerrimus exortus est Wolfianae sententiae patronus. Hic in Museo antiquitatis studiorum a F. A. Wolfio et Ph. Buttmanno edito Berol. 1808 (Vol. I.) pro sui ingenii facultate suspicionum numerum augere et novis quibusdam causis additis accusationes a viro docto in orationem cumulatas fulcire studuit. Sed si ea, quae Wolfii vestigia secutus protulit severiore iudicio examinaveris, invenies, plus argutiarum in eius disputatione inesse, quam probabilium argumentorum, eumque magis ex vituperatione alterius partis suae rei subsidium quaesivisse, quam id egisse, ut verum a falso discernendo suam rationem nobis comprobaret. Nihilo secius autem nonnulli editores velut Beckius, Schützius, Orellius sive unius Wolfii auctoritate commoti, sive criminationibus a Spaldingio auctis et completis adducti Marcellianam aut omiserunt, aut seiunctam ab eis, quas constitit Ciceronis esse, orationibus ediderunt. Aliis tamen velut Klotzio, qui non minus intelligens index huius rei existimandus est, persuaderi non potuit, ut orationem illam ex suo loco removerent. — Sciens adhuc dissertationem praetermisi, quam F. Kalau (Francofurti 1804) ad nonnullas Wolfii castigationes refellendas conscripsit, quod vix dignam duxi, quae cum illis Weiskii et Wormii libellis conferretur. Nec sane multum ad litem illam disceptandam lucramur ex „Lucubrationibus de or. Cic. p. Marcello a L. Hugio in Ind. lectt. publ. Univ. Friburg. 1817. conscriptis. Unius restat, ut mentionem faciam, L. G. Jacobi [1]) qui plane aliud atque alii, qui aut vindicant Ciceroni orationem aut abiudicant, hac de re statuit. Hic argumentis, quae ad utramque sententiam comprobandam prolata erant, inter se comparatis et accurate perpensis se neque his, neque illis prorsus assentiri posse dicit. Alia enim in hac oratione digna putanda esse, quae tribuantur Ciceroni, alia autem a genere dicendi Tulliano adeo recedere et abhorrere, ut non ab eodem dicta vel scripta videantur. Itaque in novam

1) De oratione quae inscribitur pro M. Marcello Ciceroni vel abiudicanda vel adiudicanda quaestio novaque coniectura auctore Aug. Ludov. Guil. Jacob. Berolini et Halis 1813.

incidit coniecturam, qua statuit, ad modum verisimile esse a Cicerone orationem pro Marcello habitam esse, neque tamen eam esse, quae ad nostra tempora pervenisset. Hanc enim ex vera illa Tulliana ab homine nescio quo exscriptam et inscite compositam existimandam esse. Atque quatuor capita accuratius pertractat et quae spuria in eis sibi videantur, exponit et componit sub finem disputationis, quae Ciceroni tribuenda esse censet, alia ex sui iudicii arbitrio reiiciens, alia recipienda statuens. Sed cum haec ratio parum probabilitatis habeat, non est cur miremur, quod Iacobus usque ad hoc tempus perpaucos suae sententiae socios invenit. — Denique G. Kellerus [1]) nominandus est, post quem nemo, quantum equidem scio, orationem illam aut accusandam denuo aut defendendam suscepit. Is praecedente Weiskio iterum congessit ipsius Ciceronis et grammaticorum testimonia et alia externa, ut ita dicam, argumenta collegit, quae apta essent ad hanc orationem Tullio tribuendam, in eis autem, quae Wolfius perstrinxit, defendendis minus versatur. Atque ipse ingenue confitetur, non sibi contigisse, ut viri docti iudicium prorsus refutaret causamque absolvendo in omnia tempora controversiam diiudicaret. — Longum est et a proposito abhorret, eorum nomina afferre, qui vel paucis vel pluribus de nonnullis oratiunculae locis egerint. Satis esse mihi videtur, eos enumerasse, qui multum operae collocaverint in lite disceptanda, quoniam ex eis, quae protuli, satis intelligi posse puto, quae hodie sit illius quaestionis condicio, simulque inde apparere existimo, non alienum aut supervacaneum esse, rem denuo retractare et ad severius examen argumenta, quibus nisus Wolfius oratiunculam a Cicerone abiudicet, revocare. Scio enim etiam nunc esse, qui eius sententiam pro vera amplectantur, aut hac de causa sibi nondum liquere dicant. Itaque operae pretium duxi, ad solvendam quaestionem iterum accedere et, si potero, ad finem eam perducere, quamquam non ignoro, periclitanti mihi in defendenda oratione ingenii vires fore, ut multae et magnae occurrant difficultates. In refellendis autem Wolfii causis si cui forte non ea, qua par erat, verecundia usus esse videor, eum precor, ne hoc mihi crimini vel insolentiae vertat, sed is persuadeat sibi velim, me, quaecunque protulerim, veritatis amore et sincerissimo studio, illud pulcherrimum Tullianae artis monumentum suo auctori vindicandi adductum dixisse.

1) Progr. gymnas. Ratibor. 1845.

Atque hac in re eam rationem sequi est mihi in animo, ut priusquam de oratione ipsa dicam, de testimoniis vel grammaticorum vel ipsius Ciceronis paucis disseram, ex quibus luculenter appareat, hunc oratorem aliquando pro M. Marcello verba fecisse, et tum demum quaeram, num per genus dicendi liceat, ut hanc, quae ad nostra tempora pervenerit, orationem, eandem esse recte statuamus.

Primo loco Asconii Pediani testimonium afferendum est; hoc enim propterea maximi iudicandum videtur in hac causa disceptanda, quod hunc virum doctissimum haud multo post Ciceronem mortuum viguisse et tam peritum usus Tulliani fuisse constat, ut vix ac ne vix quidem a suae aetatis declamatore, quem Wolfius orationis auctorem esse vult, eum decipi potuisse, omnes, penes quos quidem eiusmodi rerum iudicium sit, facile intelligant. Hic igitur in commentat. ad divin. cap. 6. ad verba „Etiamsi tacent, satis dicunt" hunc locum ex Cic. orat. pro Marcello affert: (IV. 12) Vereor, ut hoc, quod dicam perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio: Victoriam ipsam vicisse videris." Qua ex re non temere colligi potest, hanc orationem, quae in fronte habeat hodie Ciceronis nomen, eandem esse, atque eam, quam Asconius in manibus habuerit, deinde et ab ipso et ab aequalibus Ciceronis eam habitam esse. Certe enim, si non omnes idem de eius auctore sensissent, hoc memoriae prodidisset. — Miror, quod Wolfius eiusmodi testimonium fere omnino negligit, quamquam ipse concedit, praef. pag. 10: „hoc quidem credere nos oportere Asconiis, Quintilianis, reliquis illorum temporum grammaticis et rhetoribus, satis vetustum esse, quod ab ipsis laudetur pro vetusto, certe non ab aequalibus eorum suppositum." An opinatur satis infringi eiusmodi testimoniorum auctoritatem, ad quae recte in talibus quaestionibus pertractandis recurritur, his, quae deinceps addit, verbis: „Illud tamen ne antiquissimi quidem auctoris fide diiudicari potest, an quid eiusmodi Ciceroni potius, quam aliis tribuendum sit, eiusque manu et excellenti ingenio dignum putandum"? — Sed quaerat quispiam hoc loco: Cui tandem tribuit vir doctus hanc orationem a Cicerone abiudicatam, et quid posuit pro eo, quod semper pro certo et explorato putabatur? Nomen eius, a quo eam conscriptam esse censet, dissimulat, nec magis exponit, quo anno eam ortam esse iudicet. Id unum ex eius disputatione eruere possumus, viro docto persuasum fuisse, Marcellianam illam originem debere declamatori insequentis aetatis praeceptis oratoriis magis imbuto, quam formato, philosophiae autem et artis logicae rationum plane

experti, vel magistro alicui ex eorum numero, quos et Augusti imperatoris temporibus et postea vulgo Ciceronis exemplum ut imitatu facillimum in ludis proposuisse et ipsos imitatos esse docere et comprobare studet. Nescio, quid alii hac de sententia iudicent, mihi quidem omnino non probabilis esse et parum firmis niti videtur argumentis. Nam perpauca et fere nulla ex illa aetate ad nostra tempora pervenerunt illius declamatoriae artis monumenta, ita ut audacioris putandum sit, scholasticorum illorum ratione non satis cognita, aut perspecta, hanc tam splendidam orationem uni ex eis vindicare. Quae cum ita sint, nonne satius esse videtur, hac de re assentiri Asconio? Hic enim, quem quadraginta fere annis post Ciceronem natum esse admodum verisimile est et spatio septuaginta annorum interiecto commentationes illas conscripsisse constat, opera eorum, quos in umbra ludorum Wolfius censet argumenta antiquioris aevi ad normam veterum oratorum imprimisque Ciceronis pertractasse, perlegisse et qualia essent, bene scivisse putandus est. Hic igitur, si quis alius, aptus erat ad verum splendorem Ciceronis a fucato splendore illorum hominum sua opuscula sententiis et verbis Tullianis distinguentium, discernendum et vix eiusmodi fraude decipi potuit. Scio, etiam plura in hanc partem facile proferri posse, sed vereor, ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας ferre dicar, cum iam Passovius [1]) qui de historicis orationis rationibus pro sua iudicandi subtilitate exposuit, hac de re egerit. Id unum autem addiderim: „Etiam propterea sententia a Wolfio proposita a probabilitate abhorrere videtur, quod non eorum esse solet, qui non suopte ingenio excellant sed aliorum vestigia premant eisque prorsus addicti sint, si quid memorabile elucubraverunt, hoc suo dissimulato nomine in publicum edere, aut opus suum eius haberi velle, quem imitati sunt. Ac certi talis erat, quem Wolfius auctorem orationis illius sibi finxit. Sed haec hactenus.

Alterum testimonium est Nonii Marcelli, qui ad vocem (aemuli p. 239, 2) haec adscripsit: „Illo aemulo atque imitatore studiorum meorum ac laborum" v. p. Marcello 1, 2.

Neque hic quidquam addit, unde colligi possit, ipsius aetate ullam fraudis factae suspicionem fuisse. Nec magis Priscianus dubitasse videtur, quin oratio pro Marcello recte tribueretur Ciceroni, nam, ni ita esset, eos locos, quos ex ea exscripsit, non sine adnotatione aliqua attulisset. Haec enim apud eum leguntur lib. III. p. 605: Tale est apud Cic. p. M.

1) F. Passov. Opusc. ed. W. A. Passov. Lips. 1843 p. 248. sqq.

Marcello „Simillimum deo iudico“ p. Marc. III, 8, et lib. XXIII. p. 1125. „Tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum ieceris“ v. p. Marc. VIII. 25: et lib. V. p. 667: „Ut si in alterutro peccandum sit, malim timidus, quam parum prudens videri v. p. Marcello VII. 21.“ — Itaque cum non affert grammaticus eius nomen, a quo oratio illa composita sit, docet quodammodo, eam satis fuisse notam aequalibus ut Tullianam. Ac profecto, si cui forte singula testimonia non magni facienda videntur, quippe ex quibus vix quidquam certi erui possit, is tamen concedere debet, mirum illum omnium consensum optimo iure in argumentorum numero referri posse, quibus suum Ciceroni opus vindicetur. — Sed non solum grammatici illi nominandi sunt, sed etiam refert, aevi medii, quod vocatur, et recentiorum temporum homines doctos commemorare velut Melanthonem, Camerarium, Manutium, Lambinum, Ernestium, Gronovium, quorum nulli unquam in mentem venit, hanc oratiunculam in suspicionem vocare eamque suppositam iudicare, sed qui omnes eam tamquam opusculum omnibus virtutibus oratoriis instructum praedicaverunt et commendaverunt. Mirum autem esset, si hi omnes, quos multum in libris Ciceronis legendis et explicandis versatos esse eiusque dicendi generis peritissimos fuisse constat, ab illo personato Tullio decepti essent: Nisi forte pleraeque partes orationis tam aperte ingenium et consuetudinem summi oratoris prae se ferre putandae sunt, ut earum admiratione percussi illi non viderint aut parum curaverint ea, quibus Wolfius se adductum esse dicat ut totam orationem falsario nescio cui tribueret. Sed fac, verum vidisse virum doctum, nonne admodum mirum videtur, nisi hoc non exstare exemplum artificii illius falsarii, qui in hac oratiuncula componenda tam prope accesserit ad id, quod proposuerat, exemplar, ut ei contingeret, acutissima virorum doctorum ingenia per tot saecula sua arte praestringere et decipere? — Sic, quocunque vertor, video, quae me admoneant, ne temere Wolfio assentiar, sed potius Wormii exemplum sequar, qui dicit, se cum Asconiis, Quintilianis, Camerariis, Ernestiis errare malle, quam cum Wolfio vera sentire. — Quam sententiam, ut et ipse amplectar, vel maxime adducor ipsius Ciceronis testimonio, quo locupletius non potest excogitari. Aperte ille dicit, se in senatu C. Caesari de restituto Marcello pluribus gratias egisse. Haec enim sunt, quae ad Ser. Sulpicium (ad fam. IV. 4) scripsit: „Uno te vicimus, quod de Marcelli, collegae tui, salute paullo ante, quam tu, cognovimus: etiam mehercule, quod, quemadmodum ea res ageretur, vidimus. Nam sic fac existimes: post has miserias . . . nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam et ipse Caesar, accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) laudataque honorificentissime et aequitate tua et prudentia, repente praeter spem dixit, se senatui, roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. Fecerat autem hoc senatus ut, cum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et cum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret, et ad Caesarem supplex accederet. Noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicae. Itaque, cum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent, praeter Volcatium (is enim sic eo loco negavit se facturum fuisse) ego rogatus mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Caesari gratias: meque metuo ne etiam in ceteris rebus honesto otio privaverim, quod erat unum solatium in malis. Sed tamen, quoniam effugi eius offensionem, qui fortasse arbitraretur me hanc rempublicam non putare, si perpetuo tacerem: modice hoc faciam aut etiam intra modum, ut et illius voluntati et meis studiis serviam.“ Quid, nesciebat fortasse vir doctus, cum hanc orationem Ciceronis esse negaret, hoc tam manifestum exstare ipsius oratoris testimonium? Immo bene sciebat et intelligebat fore, ut, qui suae sententiae existerent adversarii in defendenda priore laude illius libelli huius loci auctoritate potissimum niterentur. Itaque cavendum esse dixit, ne quis plus iusto illi epistolae tribueret, neque enim eam ita comparatam esse, ut quidquam probaret, cum in ea essent, quae nec cum moribus illius aetatis, nec cum testimonio Plutarchi convenirent. En, quae orationis defensoribus opponit: „Mori, inquit, (p. 26) et elegantiae illius aetatis contrarium erat, verbis pluribus uti aliquem in gratiarum actione, quam ipsa res postularet, id est, ut Cicero dicere solet, amplissimis, singularibus, seu pluribus quam factum esset a ceteris senatoribus. Tertio aut quarto post Christum saeculo, quibus temporibus Eumenius et Panegyrici Latini vixerunt, in tali loco et tempore convenit iusta oratio, non Ciceroniano.“

Quid hoc posterius sibi velit, me non assequi, ingenue confiteor. An censuit vir doctus, illis temporibus hanc orationem a panegyrico aliquo compositam esse? Neque tamen potuit salva ratione hoc putare, cum sciret, iam

Asconium, qui vulgo tertio post Chr. anno natus esse creditur, eam legisse. — Quod autem dicit, morem Romanorum sibi obstare videri, quominus Ciceronem pluribus verbis Caesari gratias egisse putet, me quidem iudice non satis esse putandum est ad auctoritatem illius testimonii infirmandam. Recte enim Wormius haec Wolfio obloquitur l. l. p. 20. „Si vel id demus mori et elegantiae contrarium fuisse, longiore in senatu oratione gratias aliquem agere; huius pro M. Marcello gratiarum actionis ratio plane singularis videtur efficere potuisse, ut a more recepto et consuetudine hoc loco, Cicero discederet. Etenim cum inopinato casu sic fuisse percussum graviterque commotum, ut laetitia exsultans et gestiens voluptate, linguae, cui silentium indixerat, non temperaverit, verba, quae supra posuimus ex epist. ad Sulpicium, manifesto declarant. Sed hominem vel prudentissinum et urbanissimum, sic constitutum, sic affectum, nonnihil animo, praeter morem et elegantiam, indulgere haud mirabimur.“ Sed ne ad eiusmodi quidem excusationem esse, cur confugiamus docet Weiskius l. l. p. 46 et 47 ubi comprobat exemplis ex Livio (XXVIII. 39 et XLV. 13) et ex Sallustio (Ing. 110) allatis, talem orationem, qualem Cicero tum in senatu se habuisse testetur, non abhorruisse a more illius aetatis. Suo iure igitur Passovius, rationem, qua Wolfius ex illis „pluribus verbis“ argumentum contra orationem eruere studeat, tali viro indignam iudicare videtur. — Ad haec nihil addo, quod ad refellenda ea pertineat, quae ex moribus Romanorum contra orationem Marcellianam colligi et proferri posse Wolfius censet, neque refert scire, num revera consuetudo illius aetatis talis fuerit, qualem vir doctus se observasse dicit, cum ipse illo loco p. 27 statim addat, ex locupletissimo Plutarchi testimonio apparere, „illa plura verba“ non explesse modum iustae orationis, quae deinde posset litteris mandari. Eo igitur abreptum videmus virum doctissimum cupiditate conquirendi causas, quibus fidem epistolae illius Tullianae labefactaret, ut non sentiret, se in inconstantiae crimen incurrere, modo statuentem, longiorem orationem sub illis „pluribus verbis“ latere, modo illa formula iustam orationem significari negantem. — Sed ne iniquiores videamur esse iudices, audiamus, quomodo suam sententiam confirmet. „Nam cum brevi post restitutum Marcellum, inquit, Cicero pro Ligario dicturus esset, quo tandem pacto potuisset Caesar eis verbis uti, quibus tum usum tradit Plutarchus (in vita Ciceronis c. 39 p. 880) *Tί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος, ἐπεὶ πάλαι κέκριται πονηρὸς ἀνὴρ καὶ πολέμιος;* quae

verba Wolfius ita vertit. „Quid obstat, quominus Ciceronem tanto intervallo audiamus dicentem? Iam pridem nobis certum est, Ligarium improbum esse et hostem.“ Ex illa formula igitur „*διὰ χρόνου*“ facile intelligi posse censet, illam gratiarum actionem a Caesare ipso non habitam esse orationem. — Concedo, satis locupletem testem appellari posse Plutarchum, nec negaverim, cum hoc loco verum prodidisse, quamquam ipse verbo „*λέγεται*,“ quod in fronte illius narratiunculae posuit, indicat, se non rem exploratam vel sibi satis compertam proferre, sed vulgo creditam vel narratam, tamen ex illis verbis tale quid aliqua cum probabilitate colligi posse, pernegaverim. Nam, ut largiamur, recte interpretatum esse Wolfium illa verba *διὰ χρόνου* his: „magno temporis spatio interiecto“ explicantem, tamen ille locus non impedit, quin Marcellianam aliquot mensibus antea habitam esse putemus, dummodo verbum „*λέγειν*“ recte accipiamus. Idem enim fere valet, ac „verba facere in foro;“ scilicet sex fere annos Cicero nullam causam publice egerat nec quemquam in foro defenderat. — Itaque salva veritate Caesar, illius oratiunculae in senatu habitae ratione non habita, illa dicere potuit. — Sed eam notionem in illis verbis „*διὰ χρόνου*“ omnino non inesse, quam Wolfius inesse voluit, Wormius p. 22, Weiskius p. 49 Passovius p. 275 alii evincunt et formulam „post breve tempus“ vel „temporis spatio aliquo interiecto“ significare comprobant exemplis. Quamquam eodem modo explicat Iacobus illa verba, ac Wolfius, tamen addit haec p. 9: „Ille locus Plutarchi nullo modo orationem suspectam reddere potest. Nam cum florente republica magnus ille orator quotidie fere in curia, foro, iudiciis esset versatus, tunc autem inter verba de Marcello facta et pro Ligario facienda complures menses defluxissent: hoc intervallum (siquidem licebat dicere cf. famm. IV. 4 et IX. 20) cui non videri longum debuit? Atque ista narrantur de Caesare, qui maxime volebat eam rempublicam putari (famm. IV. 4) neque ideo quidquam habere exoptatius poterat, quam Ciceronem, et oratorem praestantissimum et civem auctoritate gravissimum, ita se gerere, ut omnibus illam esse aliquam persuaderet (Att. XIII., 10 famm. VII. 33). Ei igitur prorsus necesse fuit, huius viri mensium complurium taciturnitas tunc videretur longissima, atque is, etiamsi Ciceronem in restitutione Marcelli audiverat satis copiose dicentem, is, iuquam, eum mensibus compluribus post auditurus, prorsus necesse fuit diceret: *τί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος.*“ Itaque sive hanc interpreta-

tionem sequimur, sive alteram, nihil in illis Plutarchi verbis inest, quod repugnet eis, quae in epistola ad Sulpicium scripta leguntur. Quare non verendum esset, ne obiter rem tractasse diceremur, argumentorum ad Wolfium refutandum aptorum numerum non augentes; nec dubitaremus, totam illam rem relinquere et ad alia transire, nisi Spaldingius, acerrimus sententiae Wolfianae patronus, nobis opponeret argumentum, quod silentio praeterire, parum diligentis videretur iudicis. Hic enim his locis ex Ciceronis libris congestis (Verr. I. 51 §. 135 II. 41, 100, IV. 28, 64 Pro Cluent. 41 §. 115 — 58 §. 160 — 59, 160, 60 §. 166) dicit l. l. p. 79, sibi quidem in frequentissimo huius formulae „pluribus verbis" usu vix ullum demonstrari posse videri, ubi sermo tantus, quantus efficiat orationem, iudicetur. Quid faciamus? concedamus Spaldingio, tot locos ab eo allatos intuentes, usum ipsius Ciceronis impedire, quominus ex illa epistola orationi pro Marcello quidquam praesidii peti possit? Minime. Neque enim ei sumus, qui magno numero locorum perterreamur, sed qui et quales sint, quaeramus. Ac duo sunt in eis, qui manifesto doceant, usum illius formulae „pluribus verbis" non certis quibusdam finibus circumscriptum fuisse, sed eius rationem talem esse, ut pro dicentis vel scribentis voluntate modo longiorem sermonem, modo brevem significare possit. Hos enim locos dico, pro Cluent. cap. 59: „Atque, ut existimetis, necessario me de his rebus, de quibus iam dixerim, pluribus egisse verbis, attendite reliqua" — ubi ea, quae LVIII. capitibus dixerat orator „plura verba" dicuntur; — et alterum pro Rabir II. 7. „Nisi forte de locis religiosis ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti, pluribus verbis tibi respondendum putas" — ubi non minus longa oratio sub illa formula latet. Atque haec exempla recordatus Passovius dixit, propterea potius orationem suspectam videri posse, quod brevior esset, quam quae secundum usum Tullianum illis „pluribus verbis" significaretur. Missis igitur Spaldingii argutiis eadem, atque antea, manet illius testimonii auctoritas et illa epistola manifesto documento est, Ciceronem tum longiorem in Curia habuisse orationem; quod ni ita esset neque ipse orator verba pro Marcello facta modum orationis explere putasset, certe non addidisset: „meque metuo, ne etiam in ceteris rebus honesto otio privaverim."

Itaque fucatis illis Wolfii et Spaldingii argumentis revictis et fictis difficultatibus illis remotis, nihil iam ab hac parte obstat, quominus hanc orationem illis testimoniis freti in suum locum restituamus eique tribuamus, cuius eam

esse omnes codices testantur. — Sed restat, ut paucis respondeamus ad id, quo vel maxime nisus praecedente Wolfio Spaldingius Marcellianam ut suppositam damnandam esse censeat. Illi enim omnia tam illiberalia, humilia, abiecta, turpia visa erant, ut sibi persuadere non posset, virum consularem similia dicere aut potuisse aut voluisse. Hic illius vestigia premens et omnia in maius extollens orationem prorsus indignam esse contendit Cicerone, quod referta sit tot tamque ineptis adulationibus et tot servilis reverentiae signis, ut ea nullo pacto a tam constanti viro habita aut conscripta putanda sit. Non nego, nonnunquam oratorem in laudanda magnitudine animi et clementia Caesaris atque in amplificandis eius facinoribus, si orationem ad nostri temporis sensum et mores revocamus, parum modum servasse videri, neque infiteor, saepe eum magis, quam par erat, animo repentina laetitia gestienti indulsisse, tamen in illa oratione, quam tamquam invito sibi inopinata re ereptam esse Cicero ipse dicit, nihil invenire possum, quod eo prorsus indignum recte dici possit. Nam quamquam haud raro nimius esse videtur orator in laudibus victoris, tamen se ad eius pedes servi instar non abiicit, atque saepius increpat quodammodo, si accuratius attenderis, ubi veneratur, ita, ut optimo iure Iacobus dixerit, „cum quidem blandiri Caesari suo, nec tamen ei parcere, eundem quidem res ab illo praeclare gestas commemorare, nec tamen tacere, quae desideraret, omnino sic eum miscere dulcia cum amaris, lenia cum acribus, ut etsi non vir fortissimus, tamen certe eloquentissimus et prudentissimus videretur." Ac certe in istis adulationibus minus offendes, si temporum, qualia quidem tum fuerint, rationem habueris. Omnis potestas tum penes Caesarem erat et prudentiores intelligebant, et suam et totius reipublicae salutem in eius arbitrio positam esse. Idem Caesar autem et antea victoria summa cum moderatione usus erat et illo die restituendo Marcello tam clementem et liberalem se praestiterat, ut Cicero inaudita illa animi magnitudine adductus eum non posset non summis laudibus efferre et simillimum Deo praedicare. Praeterea aliud fortasse erat, cur orator res victoris adeo exornaret. Incitare Caesarem voluit, tot laudibus in eum collatis, ut pergeret rempublicam afflictam erigere, eamque sapienter componendo tamquam cumulum adderet suis facinoribus. Itaque eum in illa oratione non se simulatorem praebuisse, sed ex animi sententia dixisse putaverim, praesertim cum suam voluntatem post victoriam Caesaris prorsus mutatam esse ipse testetur: Cf. ad. fam. 1, 9, 21. „Non permanen-

dum in una sententia, conversis rebus ac bonorum voluntatibus immutatis, sed temporibus assentiendum. Nunquam enim praestantibus in republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio" — et ibid. §. 18: „Itaque tota iam sapientium civium, qualem me et esse et numerari volo, et sententia et voluntas mutata esse debet. — Huc accessit commemoranda quaedem et divina Caesaris in me fratremque meum liberalitas: qui mihi, quascunque res gereret, tuendus esset: nunc in tanta felicitate tantisque victoriis, etiamsi in nos non is esset, qui est, tamen ornandus videretur" et ibid. §. 17. „Illud vero non obscure queruntur in meis sententiis, quibus ornem Caesarem, quasi desciscere me a pristina causa;" quibus cum locis Kellerus aptissime confert fam. IV. 4, 5, fam. VI. 6, 8 et 10 et 13. — Eum igitur, qui haec scripserit, etiam ea, quae in oratione pro Marcello leguntur, dixisse admodum verisimile est. Quae cum ita sint, neminem iam fore spero, qui orationem cum Spaldingio declamatori alicui tribuendam esse censeat, quod ab constantia Ciceronis, qualem quidem ille observaverit, nimis recedat. — Nec magis vir doctus, opinor, eis, qui mores summi oratoris quales fuerint, accurate cognoverit, Marcellianam ab eo non profectam putandam esse, facile persuadebit eo, quod adulationes illas prorsus indignas esse dicit viro consulari. Nam etiam in oratione pro Ligario cf. 5, 15 et 16 ibid. cap. 10, §. 29 ibid. 12, 35 et pro Deiotaro cf. 2, 4 — 3, 8 — 4, 12 ita adulatur Cicero Caesarem et adeo eius res auget, ut acutissimo iudicio opus sit ad statuendum, quae maiores dicendae sint blanditiae. Praeterea is, qui hac de re iudicare vult, meminerit velim, non magis parcum eundem Ciceronem se praebuisse in Pompeii virtutibus collaudandis. Haec enim de eo praedicat in oratione pro lege Manilia X. 27 et 28. „Nunc vero, cum sit unus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam superarit — — — qui saepius cum hoste conflixit, quam quisque cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt." Cf. cap. XI. §. 29 — „quae tanta sunt (scil. virtutes imperatoriae) in hoc uno, quanta in omnibus imperatoribus, quos aut audivimus aut vidimus, non fuerunt." Multa alia ex hac oratione facile afferre possum eiusmodi exempla adulationis, quae haud scio an non minus digna sunt eadem reprehensione, qua castigant Wolfius et Spaldingius ea, quae in oratione pro Marcello de Caesare dicta sunt (nimirum ferebat Ciceronis alacritas et abundantia, ut saepe ut in vitiis perstringendis et vituperandis, sic in virtutibus extollendis et praedicandis modum excederet.) Sed haec commemorasse satis habeo, cum ex eis iam colligi possit, eiusmodi blanditias non alienas esse dicendas ab ingenio aut consuetudine Ciceronis. Ei autem, qui etiam nunc dubitent, hanc orationem illi tribuere, quod eo indigna videatur, reputent secum, quaeso, quae recte me quidem iudice in hanc partem Wormius dicit l. l. p. 33. „Cicero ille, quem dignitati suae senatoriae et consulari, in hac oratione, tam male consuluisse Wolfius indignatur, idem est, qui non ita diu post haec tempora, Octaviano puero, tam suppliciter, demisse, serviliter (Bruto certe iudice Epist. ad Brut. XVI. 17) adrepebat et adulabatur quod, sive ignaviam, dominationi obnoxiam, appellare, sive cautionem et prudentiam civilem, temporibus cedentem et parentem necessitati (Fam. IX. 9 ad Brut. 18.) interpretari mavis; admonere nos potest, de animo et moribus Ciceronis, quam anceps et difficile sit iudicium." Vereor autem, ne iam plura, quam opus esset ad diluendum illud Wolfii argumentum, dixisse videar eis, qui ad Ciceronis vitam observandam accuratius attenderint animos et orationibus diligenter perlectis tamquam finxerint sibi veram propriae eius rationis imaginem. Id unum autem res ipsa postulare videtur, ut admoneam iterum omnes, qui ad orationem vel legendam vel percensendam accedant, ne obliviscantur, singularem eius esse naturam, eamque Ciceronis esse summa laetitia exsultantis nec sedato animo dicentis aut verba ad dignitatis suae normam anxie dirigentis. — Nec alienum videtur addere, multas et manifestas inesse in oratione pro Marcello historiae notas, ex quibus luculenter appareat, eam ab aequali Caesaris i. e. a Cicerone habitam et litteris mandatam putandam esse; neque enim fugere potest eum, qui attente Marcellianam perlegat, multa in ea reperiri, quae et ad Caesarem et ad Marcellum pertineant, quae vix ac ne vix quidem posterioris aetatis rhetorem, quem eius auctorem Wolfius praedicat, scivisse comprobari possit. Adde, quod ex illa epistola ad Sulpicium argumentum plenae orationis nullo pacto depromi potuit. — Denique ipsa forma orationis illius, non parum idonea videtur ad suspicionem a viro docto motam reiiciendam. Duplex argumentum in ea tractatur atque alterum ab altero ita discrepat, ut vix ulla probabilis causa iuveniatur, qua declamatorem aliquem adductum esse verisimile sit, ut res tam diversas inter se tamquam in unum corpus coniungeret. Nam non solum de Marcello dicit orator et pro eo restituto gratias agit,

sed etiam multis persequitur insidias, quas sibi parari Caesar suspicabatur, eique persuadere studet, inanem esse illum timorem. Quod Ciceronem rebus et temporibus illis commotum fecisse, nemo mirabitur, artis declamatoriae autem magistrum aut tironem secundi vel tertii p. Chr. n. saeculi haec eum dicentem finxisse, nemo prudentior iudex a se impetrabit, ut concedat. Itaque, quocunque vertimur, occurrunt argumenta, quibus iubeamur, orationem illam Ciceroni ut suo auctori vindicare et tribuere.

Iam vero quaeritur, num per genus dicendi liceat, eam suo loco servare. Nam si multa reperiuntur, quae ab usu dicendi et consuetudine summi oratoris propria adeo abhorreant, ut ab eo dicta vix putanda sint et non solum aliquot loci sed tota sermonis ratio ab ea, qua florere solet Cicero arte aliena dicenda sint, illa testimonia aut illa argumenta, quamvis sint per se magni ponderis, tamen non sufficere ingenue confiteor ad demonstrandum, Marcellianam recte referri in reliquarum illius orationum numero. Sin autem pleraeque partes orationis praestant illa oratoria virtute, qua ille dicendi artifex insignis est, et pauca paulo insolentius dicta, aut ea concinnitate carere videntur, quam in aliis orationibus vulgo admiramur, non esse existimo, cur iure ea a Cicerone abiudicetur et ab alio nescio quo supposita esse dicatur. Nam certe idem valere de orationibus aequus iudex concedet, quod de carminibus dicit Horatius (de arte poet. v. 351 seqq.).

„Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit
Aut humana parum cavit natura.“

Ac profecto plura nitent in hac oratione, et qui integro in ea percensenda utitur iudicio, nec praeiudicata opinione, ut aiunt, ad eam perlegendam accesserit, is non poterit non in una quaque pagina atque adeo in unaquaque periodo ingenium et morem Ciceronis reperire: et si quae minus eleganter aut minus concinne dicta inveniuntur, haec non praeter probabilitatem propria orationis ratione defenduntur. Semper enim tenendum est, id quod iam supra praetereundo monui, Ciceronem non paratum ad dicendum accessisse, nec, quae dicturus esset, antea meditatum, sed ex tempore verba fecisse et ut quaeque animo se obtulerint, sic eum pronuntiasse. Quo factum esse putandum est, ut impetu animi interdum abreptus et verbis et formulis uteretur, quae in aliis orationibus non occurrant. Sed tantum abest, ut hanc ob causam Marcellianam ab Cicerone abiudicandam esse

concedam, ut illam rem vel maxime documento esse contendam, orationem non esse declamatoris insequentis aevi. Nam si magister aut tiro in scholarum umbra eam ad exemplar Ciceronis composuisset certe, quo facilius suum opus Ciceronis esse aequalibus persuaderet, summa diligentia adhibita evitasset, quae forte fraudis factae suspicionem movere possent. Quod cum facturum fuisse adducimur, ut putemus eo, quod auctor tota oratione tam peritum generis Tulliani se praestat, ut suum exemplar imitando prorsus exprimere videatur. Sed desiderat Wolfius veram illam artem Ciceronis in sententiis coniungendis et concludendis; omnia censet in oratione verbis nimis exaggerata et frigida videri, ubique verborum vel optimorum sonitum inanem nulla aut inepta subiecta sententia deprehendi, studiose dicendi ornamenta, lumina, flosculos adhibita, denique factam videri et dedita opera comparatam orationem aut artificii significandi aut ingenii venditandi aut memoriam ostentandi causa.

Huic sententiae prorsus contrarium de hac oratione facio iudicium et mecum facturos esse spero omnes, qui quidem sinceri et integri iudices esse velint. Mihi enim in ea quantum quaeque res ornatus aut postulabat aut non repudiabat, id omne ad mirum quendam quasi consensum concentumque rerum et verborum temperatum esse videtur; sed liberiorem quendam numerum modumque orationis adhibitum eumque non quaesitum esse, sed secutum apparet. Quamquam non nego, elationem et sublimitatem orationis nonnullis locis in tumorem quendam verborum abire videri, tamen hanc ab causam vix ea Cicerone minus digna dici potest, cum ipse concedat, ne aetate provecto quidem sibi contigisse, ut iuvenilem quendam dicendi impetum et abundantiam satis coërceret, cf. Brut. §. 316. „Is (Molo Rhodius) dedit operam, si modo id consequi potuit, ut nimis redundantes nos et superfluentes iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coërceret.“ Mirum igitur esset, si Cicero in hac oratione, quam summa laetitia affectus, Caesaris admiratione, amore, studio calens, incitato animo ex tempore, ut aiunt, habuit, exigua illa vitia evitasset, quibus ne in eis quidem orationibus vacare eum videmus, quas sedato animo habuit, quasque antea meditatus et commentatus erat. Quid plura? Omnes consuetudinis Tullianae notae tam aperte nobis occurrunt, ut nullo pacto persuaderi nobis possit, id efficere quemquam rhetorum potuisse aemulando Ciceronem, ut eum prorsus aequaret, praesertim in re, quae ab reliquarum illius

orationum argumentis vehementer discrepet. In eandem sententiam spero, fore, ut sine ulla dubitatione concedant, qui perlectis eis, quae altera dissertationis parte ad refellendas animadversiones a Wolfio in ipsam orationem factas iam exponere est mihi in animo, sibi persuaserint, longe plures locos insulsa quadam petulantia a viro docto perstringi et sine iusta causa castigari.

Cap. II.

Hoc altero disputationis capite ad ea potissimum Wolfio respondere mihi est propositum, quae vel ad grammaticam rationem orationis vel ad verborum significationem pertineant; ea, quae propter nimiam adulationem Ciceroni imputari posse negat, silentio sciens praeterii, non quo deessent, quibus illa refutari possent, sed quod iam ab aliis ita revicta videbantur, ut supervacaneum esset, denuo res, de quibus iam actum esset, tractare. Eos igitur locos ad severius examen revocavi, quibus priores defensores aliquid dubii relinquerent vel criminationes a Wolfio iniectas et a Spaldingio auctas non ita refutarent, ut omnibus scrupulum adimerent.

Ac primam quidem reprehendendi ansam praebuit in prima paragrapho, ubi Cicero exponit, quibus rebus adductus sit, ut neglecto in perpetuum tacendi consilio verba fareret, acuto critico praeteritum „eram usus“ minus commodo iunctum verbo „attulit“. Sed eis, quibus libellus ille Wolfii non in promptu est, ipsa verba viri docti adscribere satius duxi.

„Praeteritum“ inquit, illud „eram usus“ minus commodo iunctum est verbo „attulit“, quod hoc loco non aoristi, seu praeteriti vim habet, sed praesens rei perfectae est; qua potestate proxime accedit ad alterum praesens „affert“. Hoc vero quid rei sit, si quis ratione non perspiciat, cuiusvis recentioris linguae exemplo monitus sentiet. Ut, si haec ita vertantur Gallice: „Ce jour finit enfin le silence, que j'avais gardé depuis longtemps“: nemini, puto, haec translatio placuerit, qui recte didicit scribere.“

Weiskius hunc locum ita studet defendere, ut dicat, silentium natura prius esse debere, quam reditum ad pristinum dicendi morem, itaque in verbis diversa tempora exprimenda esse. Deinde addit tria exempla, quibus comprobare conatur, hanc variorum temporum iuncturam confirmari et communi omnium scriptorum dicendi usu et

consuetudine Ciceronis propria. Unum petit ex ipsa oratione §. 12 „viceras — vicisti“ alterum ex illa epistola ad Fam. IV. 4 „Statueram — fregit“; tertium ex Fam. VII. 22 „redieram — notant.“ Mihi autem hi loci non commode electi videntur. Paullo aliter enim comparati sunt atque hic, de quo agimus locus. In eo enim non offendit Wolfius nec offendere potuit, quod plusquamperfectum cum perfecto, quod aoristi vice fungitur, coniunctum invenitur, sed id repugnare vulgaribus grammaticorum praeceptis censet, quod perfectum temporis praesentis vi praeterito „usus eram“ iunctum sit.

Neque Wormius, quamquam recte monet, ad linguarum recentiorum consuetudinem, temporum latinorum rationem recte exigi non posse, quidquam affert, quod aptum sit ad ea, quae Wolfius statuit, redarguenda. Dicit consecutionem temporum, quam grammatici appellent, rem in lingua latina omnium difficillimam esse et tum leviter hanc rem ita absolvit, ut dicat, sibi videri formam temporis periphrasticam „usus eram“ effecisse, ut haec Wolfio displiceret iunctura; minus fortasse eum effensurum fuisse putat in illo loco, si orator dixisset: „Silentii — quod tenueram vel tenebam — finem attulit.“ Hac ratione omnino nihil probari nemo est, quin intelligat.

Mihi aliter de toto loco statuendum videtur. Perfectum enim „attulit“ quamquam prope ad tempus praesens accedit, tamen fungitur aoristi munere. Nam iam illo ipso tempore, quo Caesar repente praeter spem dixit, se senatui, roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum, Cicero consilium mutasse et orationem habere statuisse putandus est; deinde omnes ante eum sententiam rogati gratias Caesari egerant; tum tandem ipse exstitit plura verba facturus. Illud igitur tempus respiciens, quo animo proposuerat loqui pluribus apte orator dicere potuit „Diuturni silentii, — quo eram usus his temporibus — finem hodiernus dies attulit.“

Adde, quod etiam eis, quae subiunguntur „quae vellem quaeque sentirem“ tamquam iubemur formam „attulit“ pro praeterito accipere. Nam si illud „attulit“ fere idem esset, atque „affert“ Ciceroni dicendum fuisset „quae velim quaeque sentiam;“ sed hoc vix convenisset Latinorum usui. — Neque alienum videtur, alio eiusmodi exemplo uti, quo facilius intelligatur, vix quidquam esse illo loco offensionis. Si haec: „Hodie vel nunc ipsum statui, vel animum induxi, quam adhuc te celaveram rem tibi aperire et quid de ea sentirem exponere“ ferri posse concesseris, non

haerere poteris in illo enuntiato, praesertim cum forma „usus eram“ verbo „attulit“ aoristi vi posito iuncta postuletur ex usu Romanorum, quos hoc in genere diligentissimos fuisse constat.

Alter locus, quem a Cicerone scribi potuisse Wolfius negat est hic: „tantum in summa potestate rerum omnium modum et q. sec.“ „Haec verba, inquit vir doctus, dupliciter offendere oportet eum, qui in Cicerone legendo accurate versatus est. Nam primum nullo exemplo apparebit, ita simpliciter ab illo dici solere „modum“ pro moderatione vel actione moderandi animi; nec talis usus defendi poterit loco Terent. Andr. I. 1, 86. „Scias posse habere iam ipsum vitae suae modum,“ ubi Donatus adscripsit, „Modum: moderationem, regimen.“ Altera offensio est in ancipiti collocatione verborum „rerum omnium“: quae quamvis non dubites, quin auctor ad „modum“ retulerit, tamen, ut idem facerent ceteri, non nisi subiuncta explicatione cogi poterant.“ — Nonne oportet, eum, qui talia profert, aut ipsum in se eam suspicionem movere, ut oratorem magis calumniari, quam recte interpretari voluisse videatur, aut in id crimen incurrere, ut parum diligenter eius consuetudinem observasse dicatur? Equidem putaverim Wolfium nimia quadam castigandi cupiditate seductum locum illum ita perstrinxisse, neque enim a me impetrare possum, ut existimem, virum tam peritum cum totius linguae Latinae, tum generis Tulliani nescivisse, vocabulum „modi“ „moderationis“ significatione Romanis usitatissimum fuisse. An oblitus erat, talia exempla apud Ciceronem exstare, qualia haec sunt: De off. I. 27, 93. „Sequitur, ut de una parte honestatis dicendum sit: in qua verecundia — temperantia et modestia, omnisque sedatio perturbationum animi, et rerum modus cernitur.“ — Pro Quint. cap. 7. „Existima modo et ratione omnia Naevium fecisse.“ Pro Cluent. §. 191 „quaestiones, quibus finem aliquando non mulieris modus, sed amicorum auctoritas fecit.“ De senect. 21, 77 ut essent qui imitarentur eum vitae modo et constantia. De orat. I. 15, 67. Sin quae res inciderit, in qua de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo et continentia — dicendum sit. — Paradox. III. „animorum modum tenere“ — Pro Sest. De fatigatione magis et errore, quam misericordia et modo aliquando caedere destiterunt. — Ad quos locos unum locum ex Sallustio exscriptum addere mihi liceat, unde colligi possit, etiam aliorum scriptorum usu illam huius vocabuli significationem comprobari. In Cat. cap. XI. enim haec leguntur: „Sed postquam Sulla bonis initiis malos eventus

habuit, rapere omnes, trahere domum alius, alius agros cupere, neque modum, neque modestiam victores habere.“ — Horum locorum numerum qui ante oculos habet, is non verendum est, ne recte Wolfium illam „modi“ vocem reprehendisse concedat.

Itaque ad alteram reprehensionis partem transeo, quae spectat ad collocationem verborum et quam inde oriri censet interpres subtilis, molestam ambiguitatem. Opportuna est hac in re defendentis conditio, cum facillime sexcenta ex aliis Ciceronis orationibus afferri possent, si opus esset, exempla, quae eodem nomine reprehendenda essent. Nimirum coram Romanis ille suas orationes habuit suoque populo conscripsit, non horum temporum tironibus aut in nostrarum scholarum usum composuit. Illis certe nihil ambigui inerat in tali verborum collocatione, nec hoc tempore in ea quisquam haerebit, qui loci sententiam perspexerit. Sponte enim apparet, cum Cicero id maxime exponere studeat, quam singularis sibi videatur Caesaris clementia et temperantia et moderatio animi, eum illud „rerum omnium“ ad vocabulum „modum“ retulisse. Res autem sunt illae intelligendae, quibus Caesar et antea persaepe adduci potuerit, ut in eos, qui Pompeii partes secuti essent, severius consuleret, et illo ipso die commoveri, ut de Marcello negaret. Itaque cum orator reliquas Caesaris virtutes additis compluribus adiectivis tamquam distinguat magisque efferat, ipsa enuntiati concinnitas postulare videtur, ut ille genitivus, qui quasi adiectivi munere fungitur, cum voce „modum“ coniungatur. Adde, quod illa „summa potestas“ nihil requirit, quo accuratius explicetur vel augeatur. Quin etiam collocatio verborum docere videtur, verba „omnium rerum“ ex voce „modum“ pendere; nam si ea Cicero ad „potestatem“ referri voluisset, certe, — si eius consuetudinem recte observavi, — post illud „summa“ inseruisset. Miror igitur, quod Fr. Richter, qui ante hos sex annos orationem pro Marcello edidit (Lipsiae 1870), genitivum cum verbis „summa potestate“ coniungi maluit, fortasse argutiore illa, quam veriore adnotatione Wolfii commotus, qui statuit, Caesari non licuisse, eo una die omnibus in rebus moderationem praestare. Sed hoc argumentum nullum esse, iam Weiskius comprobavit his (pag. 73): „Primo tenendum est, hic loqui et oratorem et Ciceronem; deinde res omnes esse, in quibus iam moderationem ostendere potuit Caesar, iracundiam, aut certe iram ipsam, victoriam natura insolentem, ipsam cogitationem de adversario.“

Etiam altera paragraphus habet, quae Wolfio minus apta atque adeo suspecta videantur. Ac primum quidem haeret in verbo „puto", quod suo loco esse negat. „Verbum „puto", inquit, haud feliciter electum videtur, multoque aptius futurum fuisse „sentio" aut „intelligo". Quod enim de propria voce et auctoritate dicitur, id plane eiusmodi est, ut in eo non opinio quaedam, sed certa persuasio, sed certus animi sensus locum habeat." Etiam hoc loco magis video calumniatoris studium, quam critici subtilitatem. Habet enim illud verbum eam, quam Wolfius desiderat, notionem, id, quod iam Weiskius probabiliter docuit his verbis. „Cum „puto" illud per se plus sit, quam „opinor", idem est hoc loco, quod fictum aliquid, ut verum in animum induco, sive rem per se non veram ita ob animum meum propono, ut si vera esset." A quibus non valde discrepant, quae Wormius ad verbum defendendum profert: „Verbum „puto" ab „intelligo, sentio, persuasum habeo, credo, non dubito" ex loquendi usu sensu tam parum differre et tam prope distare puto, ut haec inter se citra reprehensionem commutare possis." Vocabulo putandi nullum in Cicerone frequentius; in Ep. ad Attic. IX. 19 sexies legitur; in his et haec sententia est: „Non mehercule hoc facio reipublicae causa, quam funditus deletam puto." Tam fractum Ciceronis animum tota epistola sic spirat, ut eum, cum „puto" scriberet revera ita sensisse et persuasum habuisse, appareat. Cf. praeterea Ad. div. XVI. 17. „Valetudo tua me valde sollicitat: sed inservi et fac omnia: tum te mecum esse tum mihi cumulatissime satis facere putato."

Nec alienum videtur ad spinosam illam viri docti adnotationem infirmandam, ea afferre, quibus Gellius (Noct. Attic. VI. 5), quae sit propria verbi vis satis luculenter explicat: „Puto non significat profecto aliud, quam id agere nos, in re dubia et obscura, ut decisis amputatisque falsis opinionibus, quod videatur esse verum ac integrum et incorruptum retineamus."

Nec magis, opinor, Wolfius aequo interpreti persuadebit, hunc locum „nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam" in eorum locorum numero referendum esse, propter quos oratio illa suspecta vel supposita videatur. Reprehendit enim verbum „persuadendi", quod sententiae non congruat. Nemo eorum, qui ante Wolfium in oratione explicanda operam collocaverunt, quidquam inepti in verbis illis invenit. Ernestius in libello qui inscribitur „Ciceros Geist und Kunst" locum ita vertit, „ich konnte mir es kaum als möglich denken, . . . dass ich mich wieder in meinem alten Wirkungskreise befinden sollte." Ad quae Wormius: „Locum ille ita cepit, ac si scriptum esset: animum inducere non potui, ut crederem; quod quidem ab usu loquendi non abhorret et commodum praebet sensum." Neque tamen dissimulandum est, vix hac ratione locum defendi posse. Dubito enim, an similia exempla reperiantur, quibus verbum illud eam significationem habeat, quam hoc loco in eo inesse Wormius censet. Atque Weiskius cum dicit, sensu ipso, non clara cogitatione Ciceronem percepisse, illa sententia adiecta concinniorem fieri periodum, quodammodo confitetur inesse aliquid in illo loco, in quo quis haerere possit. Ac profecto ita est. Orator enim adiunxit verba „nec fas esse ducebam" eis, quae antecedunt, cum essent subiungenda ita, ut haec periodus existeret: „nec mihi persuadere poteram, fas esse, versari me et q. sec."; sive duo illa enuntiationis membra ita sibi respondere voluit, ut etiam in altera parte, sicut in priore „dolebam" et „angebar", duo essent verba, sive impetu oratorio seductus minus diligenter logicae artis, ut ita dicam, leges secutus est. Audio, quid hoc loco qui Wolfii sententiam amplectantur, dicturi sint; hoc esse in sua causa pronunciare. Sed errant, nam hunc quoque locum documento esse confirmaverim, orationem illam non in scholae otio a magistro quodam omnia anxie et religiose expoliente elucubratam, sed a Cicerone illo die habitam et eisdem fere verbis conscriptam esse.

Iam vero transeundum est ad alteram enuntiati partem, quam propter praeclarum verborum numerum et eam dicendi copiam, quae vel maxime Ciceronem auctorem orationis comprobat, interpretes admirari consueverunt. Wolfius autem non modo nihil artis Tullianae illo loco reperit, sed etiam verba „quasi quodam socio et comite" inutilem appendicem nuncupat, speciem vitiosi tumoris habentem. „Quid enim est aliud, inquit, studiorum aemulus, quam socius et comes? Nam si forte auctor scribere voluit, „comite cursus seu itineris," omnis censura nostra ad ea pertinet, quae scripsit homo, non quae fortasse voluit scribere." Wormius locum ita tueri conatur, ut haec Wolfio opponat: „Differunt aemulus et comes, ut vocabulum proprium differt a translato. Videtur W. existimare, esse in „comite studiorum" nimiam verbi transferendi audaciam; de quo sine dubio Ciceroni aliter visum, qui „comitem honoris, calamitatis, periculorum furoris" frequentaverit. Vereor quoque, ne actum sit de omni eloquentia praesertim

Tulliana, si oratorem ad hanc parsimoniae legem revocare et in has angustias compellere velimus."

Paullo aliter Weiskius succurrit Ciceroni: „Peccasset auctor," si voluisset scribere, „comite itineris." Nam a curriculo petierat metaphoram. Hanc ut servaret, neque uno verbo defunctus et ad propria statim revolutus locum durum faceret, subiecit „quasi quod. s. etc. Ceterum idoneus et integer iudex prope ex ipsa sententia Ciceronem agnoscet auctorem. Etenim incredibiliter ille excitabatur amicorum paribus studiis et honesta aemulatione, neque uno loco testatur, eorum casu studia sua elanguisse."

Utriusque defensio sane habet haud exiguam persuadendi vim; tamen neutri prorsus assentiendum esse, loco iterum iterumque perlecto, intelligere mihi visus sum. Cicero enim, si quid video, coniunxit verba „aemulo atque imitatore studiorum" et deinde „ac laborum socio et comite," ad quae imaginis molliendae causa addidit „quasi quodam." Nam quid sit „imitator et aemulus studiorum," scio, sed quid sibi velit „aemulus et imitator laborum" non assequor, cum labores nihil habeant, quod ad imitandum invitet. Labores autem sunt ei intelligendi, quos vita eius fert, qui rem, publicam capessivit. Itaque aptissime Marcellus a Cicerone appellari potuit laborum suorum quasi socius et comes. Si igitur pronomen „illo" commate distinxeris a vocabulo „aemulo" et verba ita coniunxeris, ut genitivus „studiorum" ad verba „aemulo atque imitatore" et vox „laborum" ex verbis „quasi quodam socio — et comite" pendeat, existet chiasmi forma, quam eis locis, quibus plus ponderis inesse voluit Cicero, ei usitatissimam fuisse constat, nec ulla iam erit, me quidem iudice inutilis vel molesta appendix, quae defensione egeat. Sed dixerit quispiam, vocem „meorum" post vocabulum „laborum" positum docere, hoc arte cum voce „studiorum" coniungendam esse. Attamen ex hac verborum collocatione vix quidquam colligi potest, cum et Nonius Marcellus p. 239, 2 et Servius ad Verg. Aen. V. 187 hunc ordinem servaverint: illo aemulo atque imitatore studiorum meorum ac laborum et q. sec., quae scriptura maiorem integritatis speciem prae se ferre videtur, quam quae in codicibus exstat. — Deinde in §. tertia dubitat Wolfius, num ferri possit „iudicio maximo." Quod ex usu Tulliano dictum esse Wormius iam docuit his exemplis: Pro leg. Manil. c. 15 „de quo tanta et tam praeclara iudicia fecistis" ibid. c. 16 „Potestis constituere, Quirites, hanc auctoritatem — magnis vestris iudiciis amplificatam etc. Phil. I. 15 iudicia populi Romani vobis magna videbantur." Eodem

enim iure, quo iudicia „magna" et „tanta" dici possunt, etiam „maxima" nuncupari posse nemo infitiabitur. Sed haec res levioris momenti est et transeundo tantum a Wolfio perstricta.

Diutius morari nos necesse est in defendenda illa formula „Ex quo", qua male vir doctus, ea, quae sequantur cum antecedentibus coniungi dicit. Haec enim ad illa verba adnotat: „Ex Caesarisne iudicio, quod, nescio quo usu, dicitur „maximum", an ex senatus consensu in deprecando? an denique ex hac utraque re, tum alieno iudicio, tum suo? Nihil horum penitus probari potest, modo grammatica ratione, modo sententia repugnante, ut facile sit videre, quam haec inscite consarcinata sint." Ne hoc quidem loco a me impetrare possum, ut Wolfio assentiar, cum neque in sententia tota, neque in verbis ipsis quidquam inepti videam. Illud „ex quo" enim non ad Caesaris iudicium aut senatus consensum aut ad aliud quoddam vocabulum, spectat sed conclusivae particulae instar ea, quae praecedunt tamquam comprehendit. Hoc modo iam Wormius formulam illam interpretatus est et haec explicandi gratia addidit: „Scilicet orator summum senatus, in causa Marcelli, consensum, et honorificum Caesaris de eo iudicium, vitae illius omnis, cum laude actae, fructum maximum et praemium amplissimum iudicat; indeque efficit, hoc praemium debere maximam danti afferre laudem, quum tantam accipienti pepererit gloriam."

Eodem modo, atque hoc loco, saepissime Cicero illam formulam adhibuit. Compares velim haec, quae ex libris „de officiis" exscripsi exempla. De off. I. XI. 36. „Ex quo intelligi potest" — I. 16, 52. Ex quo sunt illa communia I. 18, 59 ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. I. 30, 106 Ex quo intelligitur II. 8, 29 Ex quo debet intelligi cf. I. 4, 13 — I. 7, 23 — I. 10, 33.

Ex his exemplis satis apparere mihi videtur, formulam illam „ex quo" non ad singula quaedam verbi enunciati antecedentis pertinere, sed ita adhiberi, ut summam eorum, quae antea exposita sint, quasi complectatur et proximam sententiam ex eis, quae antecedant quodammodo consequi, ostendat. Saepe igitur particularum: itaque, quare, quocirca, ergo, et quae sunt aliae eiusmodi munere fungitur, saepe autem nihil aliud sibi vult, quam ut sententiis coniungendis inserviat et indicet, intercedere aliquam inter ea, quae sequantur et antecedant, rationem. Quid, quod haud raro ratio demum post talem formulam sequitur, ut Weiskii verbis utar, cum eam putes anteces-

sisse. Cf. De off. I. 7, 21 „Ex quo, quia suum cuiusque fit eorum, quae natura fuerant communia: quod cuique obtigit, id quisque teneat.“ Haec qui secum reputaverit, nisi forte iniquo iudicio utitur, et in sententia et in grammatica ratione illius loci acquiescendum esse, concedet.

Iam vero ad caput alterum transeundum videtur, quo etiam magis ingenium Ciceronis apparere recte animadvertit Iacobus haec statuens: „Nihil in eo longum sapit meditatumque exordium; sed quod illi diei aptissimum videtur, statim Caesarem appellando ad ipsas gratias agendas acceditur dicendi genere forti, gravi, quodque animo rebus plurimis commoto imprimis congruat.“ Aliter hac de re visum est Wolfio. Iam ineunte capite novam reprehendendi invenit ansam. Negat enim „flumen ingenii“ a Cicerone dici potuisse, cum nullum exstet exemplum, cuius similitudine tale quid comprobetur. Frequentatum fuisse oratori „ubertatem et flumen orationis vel verborum, „ingenii“ autem „flumen“ ab eius usu abhorrere. — Etiam in hunc locum quadrare videtur, quod Wormius p. 109 queritur; scilicet est defensoris conditio, quam accusatoris iniquior, quod cum hic digito monstrasse et verbo monuisse contentus sit, illi ad suspiciones iniectas delendas et crimina diluenda longiore oratione opus est.

„Flumen verborum“ igitur vir doctus dicit inveniri apud Ciceronem, non „flumen ingenii“, quae metaphora ei audacior videtur. Res omnium difficillima est, hoc tempore statuere, quo audaciae oratori Romano licuerit procedere in metaphoris adhibendis. Non tam augusti Cicero fuit ingenii, ut eisdem semper formulis uteretur, sed praestitit pro sua ubertate miro sermonis variandi artificio. Hinc innumerae illae imagines, quae cum neque ante eum neque postea reperiantur propriae eius dicendae sint. Quarum haud paucae ita comparatae sunt, ut ei, qui dicendi artem et disciplinam non ut suas possideat, sed ut alienas libet, si eas suae facultatis modulo non ipsius eloquentiae viribus metiatur, frigidae et ineptae aut insulsae et pueriles videantur. In quarum numero illum locum retulerim §. 10. „Parietes, medius fidius, ut mihi videtur, huius Curiae tibi gratias agere gestiunt et q. sec.“, quem iniuria a Wolfio reprehendi iam Wormius et Weiskius docuerunt.

Sed ut eo, unde digressi sumus revertamur, illud „flumen ingenii“, quod fere idem est, ac nostrum „Gedankenfluss, Gedankenschwung“, nemo prudentior propterea a Cicerone alienum iudicabit, quod non nisi hoc loco inve-

nitur, cum quid sibi velit, nullo negotio intelligatur. Wormius non inepte ad formulam illam tuendam affert: Ovid. Fast. I. 24.

Scimus et ad nostras cum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.

et Iuvenal. Sat. X. 121 „exundans ingenii fons“; nam haec exempla id certe efficiunt, ut quod haud ita multo post Ciceronem vulgare fuisse appareat, id ipsius temporibus audientium aures non offendisse putandum sit.

§. 6. Displicet Wolfio oratio ad primam personam retracta. „Quae quidem — nisi fatear — amens sim“. Dicendum fuisse oratori censet: „Quae nisi quis — fateatur — amens sit“. Hac in re sagacissimi illi orationis defensores Weiskius et Wormius inviti viro docto quodammodo assentiri coguntur. Quorum alter p. 90. „Consentaneum sane est, ut, quae quis certis conditionibus vituperet, ea cum illis conditionibus alteri potius, quam sibi tribuat. Et sic fere solet Cicero. Neque tamen huic legi sic est addictus, quin variandae orationis gratia eam migret. Hic autem primam personam adiecto etiam pronomine „ego“ auctor propterea videtur ad hibuisse, ut eo magis ipsa verbi forma appareret, ipsum bellica Caesaris facta vehementer admirari, et ut Caesar eo minus deinceps extenuanda eorum laude offenderetur.“

Hoc alterum verum esse et probabile intelligens existimator lubens concedet, tamen unusquisque dubitavit, num illud „amens sim“, quod sine dubio ineptum est et Cicerone prorsus indignum hac ratione quidquam habeat excusationis. — Nec plus lucramur Wormii defensione: „Ego illa non accommodari ad sequentia, sed ad antecedentia „Tamen hoc affirmo et — hoc pace dicam tua“ referri velim. Cum orator de bellica Caesaris laude ipse, per se affirmate statuisset, conveniens erat, ipsum, suo nomine, profiteri, se has laudes non minoris, quam par esset, aestimare“. Hic non recte intellexit, aut intelligere voluit, cur Wolfius locum reprehenderet. Cogitari nihil absurdius potest, quam si Cicero coniunctivo praesentis adhibito quodammodo confitetur, se amentem esse. Minus offensionis locus haberet et certe minus inepta esset sententia, si scripsisset orator: „Quae nisi — faterer — amens essem“. Sed ne tum quidem verba ferenda essent; additis enim illis „amens essem“ non modo non auxisset orator Caesaris gloriam, quam amplificare voluit, sed se ipse prorsus ridiculum reddidisset. Itaque vix ac ne vix quidem, nisi forte arbitraris, nihil non scribi potuisse a Cicerone, hic putandus est tam inep-

tam, quam quidem libri manuscripti praebeant, sententiam protulisse et litteris mandasse. Persuasissimum igitur habeo, codices locum corruptum exhibere; atque hoc modo fere mendum irrepsisse puto. Exstabant, si quid video, in archetypo haec: VT EA VIX CVIVSQVĀ MENS AVT COGITATIO CAPERE POSSIT: SED et q. sec. ita, ut littera m in voce „cuiusquam" per compendium scripta esset. Ex illis „CVIVSQVĀMENS" autem incuria librarii in alterum versum post verbum „possit" illud „amens" insertum esse verisimile est, ad quod postea ab alio, nescio quo, cum non haberet, quo vocabulum referret mutata particula ETSI, quae in prima enuntiati parte legebatur, in NISI illud „SIM" additum esse putandum est.

Sic igitur genuinam scripturam restituere mihi videor, ut scribendum esse proponam: „Quae quidem ego etsi tam magna esse fateor, ut ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, sed tamen sunt alia maiora", quae coniectura non vereor, ne eis audacior videatur, qui sciant, qua ratione usi sint librarii in libris describendis, quique perlecta hac dissertatione sibi persuaserint, haud pauca huius orationis menda aut negligentia eorum aut explicandi studio orta esse.

Crimini vertit Spaldingius Weiskio, quod in eodem enuntiato suo clienti praesidium quaereret ex silentio accusatoris sc. Wolfii. Ille enim monuit vix dici posse „maiora eis, quae vix cuiusquam mens capere possit". Sed hoc defensione non egere, quod ne Wolfius quidem vituperaret. Equidem loco facile succurri posse puto; nam profecto nihil est, si Ciceronis consuetudinis rationem habueris et locum recte interpretatus eris, in quo offendas. Sane cogitari potest maius aliquid, quam facinora illa in alienis terris fortiter edita, quorum numerum et magnitudinem animus quasi uno obtutu complecti non possit. Ita enim verbum „capiendi" accipiendum, non per „intelligere" vel tale quid interpretandum esse, totum, quod antecedit enuntiatum, docet. Similiter Cicero Cat. III. 13 „quum illa certissima visa argumentatum multo certiora" et Off. III. 33. Vale mi Cicero tibique persuade, esse te quidem mihi carissimum; sed multo fore cariorem et q. sec. Is igitur, qui ferri posse concedet „carissimo filio cariorem" et „certissimis argumentis certiora" is, inquam, si ex Latinorum usu et ex oratoris ingenio iudicabit non poterit haerere in ea, quam hic locus praebet sententia. Quacum re coniunctissima videtur quaestio, num Ciceroni tribuenda sint haec §. 33 „maximas tibi gratias agimus C. Caesar, maiores etiam habemus", quem locum Wolfius non intactum dimisit.

Quaerit enim, quales sint et quam ingentes gratiae maiores maximis. Intellexisset haud dubie, si illorum locorum meminisset, nec oblitus esset, haud raro adhiberi „superlativum" non ad id significandum, quo nihil maius possit excogitari, sed absolute positum, quod grammatici dicunt, non nisi gradum admodum altum atque elatum significare, ita ut „maximus" non multum discrepet a „permagus", „carissimus" fere idem sit atque „admodum carus". Itaque nemo iam erit, qui nesciat, quales sint illae „gratiae maiores maximis", praesertim cum revera animus maiores habere possit, quam quas verbis ei exsequi liceat.

Cap. III. §. 8, ubi Cicero exponit, magnam gloriam Caesarem sibi peperisse, innumeris et atrocissimis hostibus victis, sed maiorem laudem eum consecuturum esse singulari et eximia temperantia et animi moderatione, qua uteretur in illa ipsa victoria de Pompeianis reportata, haec vulgo leguntur: „Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium — non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, — haec qui facit, — simillimum deo iudico". In his constructio „victoriam temperare" Wolfio non modo non Ciceroniana, sed vix Romana videtur; nam „temperare" significatu „moderandi s. modum ponendi" cum tertio casu construi solere censet.

Weiskius haec ad structuram illam tuendam profert: „Temperare cum accusativo est „regere". Hinc „temperatus" homo (i. e. qui se ipsum temperavit) dicitur, quod nunquam diceretur, nisi et activum cum acc. in usu fuisset eodem, quo hic occurrit sensu". Quod posterius non recte ratiocinatus est vir doctus. Nec quid sit „victoriam regere" assequor.

Neque quidquam probatur ea ratione, quam in loco defendendo Wormius iniit: „Iam olim inquit soloecismorum crimen Ciceroni fuit impactum, quod eum communes grammaticorum praeceptiunculas haud raro in scribendo migrare videbant. Sed de toto hoc genere A. Schottus recte monuisse videtur cum scriberet: „„Haec non statim damnanda. Hoc enim si permittitur *ποταμῶν χωροῦσι πηγαί*, quod proverbio dici solet, cum non loqui nos Ciceronem doceamus, sed ab ipso potius discere debeamus"". Nescio, quid alii de hoc argumento sentiant, mihi quidem nullum esse videtur, meque taedit, ad eiusmodi excusationem confugere, qua quidvis inepti defendi possit. Recte monuit Wolfius verbum „temperandi" verbi „moderandi" vi non nisi cum tertio casu coniungi cf. Liv. 28, 44, Sall. Cat. 11, 8 „vic-

toriae temperare“ Liv. 33, 3 „irae“ t. Curt. 5, 7 „laetitiae“; neque ullum exemplum, quo ex verbo hoc sensu posito, accusativus aptus sit, invenitur. Itaque Halmius et Richterus invitis codicibus per coniecturam scripserunt „victoriae“, quod quamquam ex communi Latinorum dicendi usu restitutum est, tamen num Ciceroni reddendum sit admodum dubito. Duo enim sunt, quae quominus summo oratori hoc tribuam, impediant. Primum, nusquam Cicero, quantum equidem observavi, verbum hac significatione positum cum dativo rei coniunxit, deinde in tautologiae crimen incurreret orator, si „victoriae“ scripsisset, nam quid aliud esset „victoriae temperare“ quam „animum vincere“ et „iracundiam“, quae plerumque coniuncta esse solet cum victoria, „cohibere“. — Iam vero, quaeritur, quomodo genuina scriptura restituatur; locum enim corruptum esse et mendo laborare nemo non intelligit. Codices G, E, G (auctore Baitero) praebent „victoriam“ codices M, T. „victum“, quod, cum pro accusativo substantivi haberet Arusianus Messius vulgaris verbi structurae memor p. 264 ubi huius loci mentionem fecit, perperam mutavit in „victui“. Hoc autem prorsus ineptam praebet sentiam et a Cicerone salva ratione dici non potuit. —

Intuens illas tam diversas scripturas incidi in coniecturam, qua ipsa Ciceronis verba ad integrum restitui putaverim. Ipsa enim loci sententia suadere videtur ut scripsisse Ciceronem arbitremur haec: „Animum vincere, iracundiam cohibere, victo temperare, adversarium — extollere iacentem et q. sec. Atque hoc revera in archetypo fuisse, pro certo affirmaverim; ac sponte apparet perversam illam scripturam, quae in libris manuscriptis exhibetur, culpa librarii ortam esse, qui, cum antecederent accusativi et subsequerentur, etiam hoc loco hunc casum ponendum esse, arbitraretur. Fortasse etiam eius oculi aberraverunt a terminatione verbi „iracundiam“. Sed quomodocunque corruptela irrepsit, id certum est, talem, qualem codices praebeant, locum non ferendum esse. Itaque satis mirari non possum, quod M. Seyffertus in gram. §. 169 haud dubie huius loci auctoritate nisus dicit, temperandi verbum cum accusativo coniungi, si fere idem sit, atque „aliqua re cum moderatione uti.“

Coniectura autem, ut hoc addam, quam proposui propterea admodum probabilis videtur, quod recepta illa scriptura multo concinnius fit totum enuntiatum et illud „temperare“ verbi „parcendi“ vi frequentatissimum est Ciceroni. Compares velim Cic. Accad. 2, 2, 4 superatis hostibus

temperare. Ibid. 2, 6, 17 si cuiquam ulla in re unquam temperaverit. Ibid. I. 59, 154 sociis cf. Balb. 27, 60 amicis.

Deinde §. 9 Wolfius structuram verbi „obstrependi“ poetarum et labentis latinitatis esse dicit. Ad quae Weiskius haec respondet: „Fac, non usitatam fuisse Ciceronis aetate: oratori tamen licebat in oratione sublimiore forma uti insolentiore. Omnino autem, quid sit labentis Latinitatis, e monumentis tam exiguis, quae nobis reliquit temporum iniquitas, iudicare non possumus. In tam simplici autem verbo nihil inest poeticum, ut non minus usurpari potuerit a prosae orationis scriptoribus“. Similiter Valerius Maximus hoc verbum adhibuit VIII. 15, 8. „Iam vero quae in Cn. Pompeium et ampla et nova congesta sunt, hinc assensione favoris, illinc fremitu invidiae — obstrepuntur“. Sed dubito, num ex hoc scriptore huic, de quo agimus loco, quidquam praesidii peti possit. Cicero enim et alii illius aetatis scriptores verbum nisi cum tertio casu non coniungere solebant, nec apte dictum videtur: „sed tamen eiusmodi res sc. „bellicae tuae laudes“ nescio quo modo obstrepi — videntur“. Itaque haud scio an hoc quoque loco doctior librarius posterioris temporis „clamore illo militum et tubarum sono“ seductus ex suo arbitrio verba Ciceronis: „obteri militum clamore“ et q. sec.“ emendavit vel potius corrupit in „obstrepi militum clamore“. Illud „obteri“ enim et aptiorem praebet sententiam et ipsius Ciceronis usu commendatur cf. Cic. Acc. 5, 1 „laudem imperatoriam obterere“. Atque aliis scriptoribus hoc verbum eodem sensu admodum usitatum erat. Compares velim Cornel. Nep. Timol. I. 5. „Nonnulli enim laesam ab eo pietatem putabant et invidia laudem virtutis obterebant“. Liv. 23, 43 „maiestatem populi Romani obterere“ Curt. 8, 1, 31 laudes, et 8, 1, 23 res Philippi“. — Sed retineant vulgatam lectionem, qui sibi persuaserint, ferri posse illud „obstrepi“ per Latinorum communem et Ciceronis proprium dicendi usum.

Sic sensim progredientes ad eam paragraphum accessimus, quae praeter ceteras largam viro docto praebuit reprehendendi materiem. Iam in. §. 10 offendit subtilis interpres in verbis: „cuius mentem sensusque et os cernimus, ut“ et q. sec. „Ut quidem, inquit, non videtur habere, quo referatur; sed refertur ita ad nomina superiora,

quasi auctor dixisset: Quem cernimus ea mente et sensu esse. Durum videbatur auctori „mentem alicuius et sensus cernere"; nec immerito, etsi panegyricus scriptor saeculo deformatae linguae non dubitavit „mitissimos sensus principis intueri", Eumenius in Constantin. Aug. c. 20. Ita vero hic in aliud incidit durum, sed argutius dictum, „os cernimus" h. e. vultum talem, ex quo summa bonitas elucet et clementia. Durum, inquam: ἀκατάλληλος enim est constructio „os cernimus, ut — velis"". Hoc est potius calumniari scriptorem quam recte interpretari. Suspectum reddere conatur Wolfius verbum „cernendi" afferendo illo panegyrici exemplo, neque tamen intelligentiores eiusmodi artificio decipiet, cum quantum intersit inter verbum „intuendi" et „cernendi" sciant. Quid autem duri sit in hoc verbo ad mentem et sensus relata prorsus non assequor. Cernere enim et de oculis et de animo promiscue dicitur, neque ulla res facile cogitari potest, de qua non liceat cernendi verbo uti, quod haec exempla docent: Ter. And. I. 1, 108 ut consuetum facile amorem cerneres. Cic. de leg. agr. 2, 4, 9 quae cum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem. Cic. sen. 23, 83 animus plus cernit et longius.

Similiter quod fere idem est verbum videndi cum animo coniunctum reperitur: Phil. X. 17. Atquin huius animum ergo M. Brutum studiumque vidistis. — Verr. V. 14. Cum servitiorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiae fugitivorum videret.

Sed vereor ne iam iusto plura verba fecisse videar ad rem tuendam, quae nihil habeat offensionis. Id autem recte Wolfius monuit, durum esse locum, quod particula „ut" non haberet, quo referretur. Vix enim ad artificiosam explicandi rationem confugere possumus, quam F. Richterus iniit statuens enuntiatum a coniunctione „ut" incipiens per epexegesin liberiore modo additum. Accedit, quod illud „os" si codicum auctoritatem sequimur, inepte coniungitur cum vocabulis „mentem sensusque", cum nulla intercedat notionis similitudo. Praeterea admodum languidum videtur vocabulum antecedentibus verbis „quem praesentem intuemur". Adde, quod abhorruit a ratione vitae communis et urbanitatis in magno hominum coetu praesentis alicuius os et vultum commemorari, quo excitentur omnes ad hominem intuendum et ad iudicandos eius ex vultu sensus. „Ore" commemorato se paene ludibrio haberi credidisset Caesar, quemcunque ostendisset vultum, oculis omnium in se conversis. Modestius profecto et elegantius dicebantur „mens" Caesaris et „sensus" cerni. Denique omnia nos docere

videntur, hoc quoque loco corruptelam statuendam esse, atque tota loci sententia, quae aperte Ciceronis ingenium spirat, nos cogit quodammodo, ut oratorem „sensusque eos" scripsisse putemus, id quod iam Faërnus restitui voluit. Habemus igitur manifestissimum h. l. operae librarii vestigium, quod doceat, quales iudicandi sint huius orationis codices.

In eadem §. Wolfius perstringit audaciam imaginis, quae insit in verbis: „Parietes, me dius fidius, ut mihi videtur, huius curiae tibi gratias agere gestiunt": Negat et pernegat, eam Ciceronianam esse, et censet talem, tam audacem, ne apud ullum quidem scriptorem ex illo antiquiorum et classicorum ordine reperiri.

H. Sauppius dilectissimus praeceptor aliquando hanc normam proposuit. Necesse esse dixit, ut is, qui oratorem aliquem tractare vellet, ante omnia vivam eius quasi imaginem cogitando sibi effingeret, ita ut eam quasi animo intueri videretur. Cui imagini si quid omnibus verisimilitudinis momentis accuratissime pensitatis non convenire intellexisset, tum demum id ab eo dictum vel scriptum iure eum posse negare.

Huius praecepti memor ad hanc orationem legendam accessi et semper Ciceronem pro Marcello loquentem mihi finxi summo dicendi ardore incitatum; quo factum esse puto, ut non eam, quam Wolfius invenit, insolentiam in illa figura inesse viderem. Sed ne nunc quidem perlecta Wolfii adnotatione quidquam in ea invenire possum, quod audacius sit, quam ut a Cicerone profectum putemus. Sexcenta enim mihi in promptu sunt exempla, quae utrum plus, an minus habeant audaciae, quam hic locus, vix summa iudicandi subtilitate constitui possit, quae tamen nunquam cuiquam in mentem venerit ab hoc oratore abiudare. — Quorum nonnulla afferre iuvat. In Pison. 21 cum omnes boni abditi inclusique maererent, templa gemerent, tecta ipsa urbis lugerent — et ibid §. 52 quae me ita accepit, ut etiam moenia ipsa viderentur et tecta urbis et templa laetari — Fam. VI. 3. In ea es urbe, in qua, haec vel plura et ornatoria parietes ipsi loqui videantur cf. pro Planc. 8, 20. — In Verr. 5, 67. Philipp. 2, 15. —

Adde, quod insolentia figurae, si qua est, valde lenitur additis verbis „ut mihi videtur".

Ei autem, qui etiamnunc dubitant, hunc locum Ciceroni tribuere, reputent secum velim haec, quae Wormius hac de re rectissime statuisse mihi videtur. „Ex omnibus inquit p. 61, quas poetae et rhetores, cum ad ornatum, tum

ad virtutem orationis frequentare solent, figuris, prosopopoeia nulla est audacior. Ex affectibus profecta, ex iisdem vim suam et excusationem habet. Quemadmodum affectuum varia sunt et infinita momenta, ita animorum illi motus, interprete lingua aut calamo, infinita varietate proferuntur; ut quousque in his imaginibus concipiendis et exprimendis procedere possit poetarum et oratorum phantasia, rerum obiectarum specie vehementius percussa, difficillimum sit diiudicatu". Quo iure igitur Wolfius ex hoc loco argumentum petere possit ad id, quod de hac oratione protulit indicium fulciendum, prorsus non video; nam id mihi unumquemque concessurum spero, hanc imaginem multo magis Ciceronis esse videri in curia verba facientis, quam hominis scholastici in umbra suas vires periclitantis. —

Iam vero pluribus agendum est de verbis, quae deinceps secuntur: „quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum et suis sedibus". Quem locum obscuritatis crimine Wolfius vituperavit; et contigit ei, ut etiam sagacissimis illis orationis defensoribus scrupulum iniiceret. Alter enim Weiskius dubitat, quae intelligenda sit illa „auctoritas" et locum mendosum iudicat. Statuens igitur lacunam, viginti fere verba inserit, quibus locum sanasse sibi videtur. Alter, Wormius non minus seductus est verbis Wolfianis. Praeter probabilitatem enim censet vocabulum auctoritatis „ordinem senatorium" significare et id arbitratur Ciceronem dicere voluisse, „propediem senatum illa pristina et antiqua auctoritate fore in maiorum et suis sedibus". Illud „suorum" autem addit non tam vocem „auctoritatis" respicere, quam personas eo vocabulo designatas.

Neuter verum perspexit. De senatu h. l. omnino non cogitari potest. Nusquam enim in eis, quae antecedunt, huius ordinis mentio fit, neque in posteriore orationis parte quidquam invenitur, unde colligi possit „auctoritatem" de senatoribus dictam esse. Nihil fecerat illo die Caesar, quo Cicero impelli posset, ut diceret, brevi fore, ut dignitas senatorum, (qui iam erant in maiorum suorum et suis sedibus) etiam amplificaretur. — Ac profecto nimis contorta fieret relatio verborum „suis et suorum" ad senatum pro candidissimo Ciceronis genere scribendi, ut Wolfii verbis utar.

Miror igitur, quod doctissimi viri tam spinosis sententiis subvenire conati sunt loco, in quo nihil inest difficultatis. Iam Abramus recte vocabulum „auctoritatis" interpretatus est, cum loci hanc esse sententiam dixit: „Parietes

huius curiae tibi gratias agere gestiunt, quod Marcellus ille vir summae auctoritatis, brevi tempore futurus sit in his sedibus maiorum suorum et suis". Redit enim illis verbis Cicero, postquam in universum res praeclare a Caesare gestas praedicavit, ad praeclarissimum illius diei facinus laudandum sc. ad restitutionem M. Marcelli, quae per totam orationem mentem oratoris occupavit. Hunc virum autem illo vocabulo significari, ex eis, quae subsecuntur luculentissime apparet. Speciose et eleganter igitur vox „auctoritatis" adhibita est pro „vir illa auctoritate praeditus". Similiter hoc vocabulo Cicero utitur in orat. p. Deiot. §. 30. „Nam ista corruptela servi — a tanta auctoritate i. e. a Caesare approbata." Nec aliter in orat. pro Mil. 101 „Haec tanta virtus ex hac urbe expelletur i. e. Milo tanta virtute florens. Adde, quod more Romanorum „auctoritates perscriptae" (cf. Or. III, 2) appellabantur nomina eorum, qui scribendo affuerunt senatusconsulto et quorum nomina senatusconsulto praeponebantur.

Itaque quid ambiguitatis aut obscuritatis in hac voce sit, non video, praesertim cum quae paucis interiectis verbis legantur „quibus tu etiam M. Marcello conservato dignitatem suam reddidisti" et q. sec. aperte doceant, Ciceronem eam de Marcello dictam intelligi voluisse.

Hoc unum restat, ut addam. Dicit Wolfius, si orator sic illud vocabulum accipi voluisset, ei potius dicendum fuisse: „Illa auctoritas in has — sedes reditura sit." Dicere potuit orator, ut hoc largiar viro docto, sed in his, quae scripsit, plus ponderis inesse affirmaverim, cum indicent, Marcellum non modo rediturum in priorem locum, sed etiam in eo pristino more mansurum esse. Quod fortasse loco in vernaculum sermonem verso etiam magis perspicuum erit: „Selbst die Wände dieser Curie verlangen, wie mir scheint, dir Dank abstatten zu wollen dafür, dass jener bedeutende Mann auf seiner Vorfahren und seinen (altgewohnten) Plätzen wieder sein soll." Iam vero valere iubemus locum, qui si recta usus eris interpretatione, aptissimam et Cicerone dignissimam praebet sententiam nec quidquam habet, quod declamatori insequentis aetatis potius, quam huic oratori tribuendum videatur.

Videamus, num firmiore nitantur fundamento, quae Wolfius in cap. IV. reprehendit.

Ac primum quidem formam „commemorabili" a Ciceronis usu et consuetudine recedere contendit atque huius orationis auctorem certe „memorabili" scripturum fuisse censet, si fideliore usus esset memoria. Ubique vir

doctus summo oratori certos quosdam fines terminosque constituit, extra quos excedere nefas esse putat. Quod non fecisset aut certe modestius, si ipse „fideliore“ usus esset memoria, aut accuratius Tullii usum observasset. Hic enim hac forma usus est in libro de nat. deor. II, 52, 131 „multa commemorabilia.“ — Hoc loco autem, de quo agimus, multo aptius est ad sententiam illud „commemorabili,“ quam simplex „memorabili,“ quod Wolfius desiderat; haud dubie enim gravius est adiectivum compositum et non mediocriter auget „pietatis“ illius laudem. — Num verbum „obfudit“ quod *in* eadem §. legitur, a Cicerone scriptum sit, quamquam *aliorum* locorum similitudine (ad Att. VIII. 6, 3 et Facit Ann. XI. 31) aliquo modo potest defendi, diiudicare non ausim. Rem igitur in medio relinquo; neque enim mihi contigit usque ad hoc tempus ex multis illis et tam variis codicum lectionibus, veriorem et probabiliorem scripturam eruere vel restituere.

Nec minus, quam hic locus, ea, quae in §. 11. exstant, docent, iam exemplar, unde hi codices originem duxerunt, multis locis mutilatum fuisse. Neque enim a me impetrare possum, ut putem, haec: „quae quidem tanta est, ut tropaeis et monumentis tuis adlatura finem sit aetas — nihil est enim opere aut manu factum, quod non aliquando conficiat et consumat vetustas — at haec tua iustitia et lenitas animi florescit quotidie magis, ita, ut quantum tuis operibus diuturnitas detrahet, tantum ad ferat laudibus“ ut haec, inquam, tam eleganti scriptori imputem, neque adduci possum, ut Richtero assentiar hoc *ἀναϰ λουϑον* concitatioris orationis esse statuenti. Quid enim sit: „Haec res tanta est, ut tropaeis monumentisque tuis allatura finem sit aetas“ ne divinando quidem intelligo, nec alium, qui utatur salvo iudicio, assequi posse, confirmaverim. Ac iam alios inhaesisse in illa inepta sententia, ostendunt varia loci sanandi vel restituendi conamina. Id tamen magis illi egisse videntur, ut codicum vestigia secuti probabilem restituerent coniciendo sententiam, quam ut quaererent, unde haec corruptela orta esse putanda esset. Equidem quid hac de re sentiam, brevibus exponam. Sic fere factum esse puto, ut locus deformaretur. Librarii oculi aberraverunt a particula „ut“ quam post verba „tanta est“ exstitisse in archetypo verisimile est, ad illam, quae ante vocabulum tropaeis legitur, et verba, quae intercesserunt omisit. Quot autem et quae interciderint eius incuria, hodie difficile est diiudicatu, quamquam vix plura fuisse putanda sunt, quam quae unius versus spatio contineantur. Attamen quae sententia mihi requirere videatur, quaeque ut interiisse

putem codicum scriptura: „ut nulla“ (G, E, F) adducor dissimulare nolo. Haec igitur me quidem iudice Ciceronis sunt: quae quidem tanta est, u t n u l l a u n q u a m o b l i v i o e i u s l a u d e m o b s c u r a t u r a s i t : n a m u t t r o p a e i s e t q. s e c. In hanc coniecturam incidi similitudine loci ductus, qui invenitur in Plin. pan. 55. „Arcus enim et statuas, aras etiam templaque demolitur et obscurat oblivio.“ Neque enim temere mihi sumere videbar, hunc scriptorem hoc loco, haec Ciceronis verba ante oculos habuisse et imitatum esse. Si autem lacunam, quae sine dubio statuenda est, hunc in modum expleveris, aptissime quae secuntur, videbuntur annecti. Alterum enim „ut“, quod vocabulum „tropaeis“ antecedit, coniunctionem concessivam, quam grammatici appellant, esse primo obtutu intelliget, qui rationem enuntiati proximi, quod a particula „at“ incipit, recte perspexerit. Haec igitur recepta hac emendatione existeret sententia. „Bei dieser That aber bist du Führer und Theilnehmer zugleich, und zwar ist dieselbe so gross, dass sie niemals in Vergessenheit versinken wird: Denn gesetzt auch, dass die Zeit deine Siegeszeichen und Denkmäler vernichten wird (denn es giebt nichts von Menschenhand gemacht, was nicht einmal vom Zahn der Zeit angenagt und verzehrt würde), so wird doch diese deine Gerechtigkeit und Milde täglich mehr hervorglänzen und zwar so, dass, was die Länge der Zeit deinen (sichtbaren) Werken entreisst, sie deinem Ruhme zulegen wird.“ —

Quaerit tamen Wolfius, qualis ista structura sit: „Lenitas tua florescit quotidie magis ita ut — afferat laudibus.“ Ad haec vix est, quod respondeamus, cum codices G et E et Lactantius testentur, Ciceronem non „florescet“ sed „florescit“ scripsisse, id quod multo magis in sententiam quadrat. Scilicet inest in eiusmodi verbis iam quaedam „futuri“ notio, ita ut futuri forma non opus sit. Eodem modo adhibuit scriptor verbum „enitescendi“ ad Herenn. IV. 57. „amisit animam, (Decius) potitus est gloria, quae cum summa laude prodita quotidie magis enitescit“; quod gravius est, quam si scripsisset „enitescet“. Forma autem „florescet“, ut hoc addam, sine dubio debetur emendandi studio librarii, qui verbo „detrahet“ seductus perperam eam, quam invenit formam mutavit. Sic plerumque, quod librarii deliquerunt, orationis auctor a viro docto plectitur. Miror, quod §. 12. Wolfius, qui studiosissime omnes carpendae orationis occasiones conquirat, vocabulum „auditu“ intactum reliquit. Patricius exhibet „auditum“, quod et mihi magis arridet, cum aptius respondeat eis, quae secun-

tur „atque ego ipse cogitans sentio.“ Illa mutatio autem levissima est; nam illud signum suprascriptum, quo per compendium littera „m“ excipi solebat, facillime fieri potuit, ut negligeretur. Sed ferendum est, quod vulgo legitur, cum vir doctus ipse concedat silentio, nihil in illa forma inesse, quod aut sententiae aut generi Tulliano contrarium videatur. Displicent autem Wolfio verba „ipsam victoriam vicisse videris“, quae inepta addita esse censet; satis enim futurum fuisse illud „te ipsum vicisti“. Aliter hac de re Wormio visum. „Puto, inquit, oratorem, cum dixit: „ipsam victoriam vicisti“, aliud atque gravius dicere voluisse, quam si „te ipsam victorem vicisti“ dixisset. Nimirum hoc fuisset: Tuam ipsius ambitionem, iram, cupiditatem, quibus per victoriam satisfacere licebat, vicisti. Illud praeterea hanc habuit vim: omnibus omnino sollicitationibus, quibus victores, ut abutantur victoria et inimicos graviter ulciscantur, induci solent, tu unus et immotum et invictum te praebuisti. Et quaecunque monendo, suggerendo, suadendo, impellendo, oppugnando homines hunc in finem sunt moliti, alto haec animo reiecisti“. Deinde apte ad locum explicandum addit Cic. Div. IV. 9 „omnia sunt misera in bellis civilibus, quae aetas nostra saepe iam sensit, sed miserius nihil, quam ipsa victoria, quae etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque facit, ut etiamsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur; multa enim victori, eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda sunt.“

Quibus perlectis nemo iam illud „ipsam victoriam vicisse videris,“ quo iam cumulum verbis suis orator addere et eandem Caesaris clementiam insigni quadam ratione extollere vult, superfluum aut ineptum additamentum iudicabit.

Ea, quae deinceps leguntur, silentio praeterirem, nisi et ipsa documento essent, quot menda a librariis in orationem illata essent. Haec enim exstant in nonnullis codicibus F, M, T: „Nam cum ipsius victoriae conditione omnes iure victi occidissemus“; alii (G, E) vocabulum „iure“ omittunt. Recte; nam luculenter apparet, hoc ab homine doctiore quodam vocabuli „conditione“ explicandi gratia insertum vel in margine adscriptum fuisse, deinde autem in sermonem irrepsisse.

In §. 13. Wolfius nove nulloque probati scriptoris exemplo dictum existimat, „culpa erroris“, neque apte coniungi posse censet „culpam“ et „errorem“ quum culpa non modo aliud, sed etiam gravius quiddam sit, quam error. — Non intellexit vir doctus aut intelligere noluit, quid hoc loco sibi vellet vocabulum „culpae“. Scire enim debuit,

hanc vocem non modo facinus commissum vel delictum significare, sed etiam conditionem, qua quis propter malefactum aliquod dignus sit, qui poena afficiatur (cf. Cic. Rab. Perd. 1, 2 culpa delicti et Acc. 25, 17). Confitetur igitur ingenue orator, se et alios, qui partes Pompeii secuti essent, falso atque inani metu et errore aliquo adductos esse, ut Caesaris adversarii existerent. Hoc nomine ergo se et plerosque quodammodo accusari posse, hoc sibi exprobrari posse. Neminem tamen quidquam commisisse, quod sceleris nomine dignum esset. Atque idem sentire Caesarem seque ipsos hoc crimine liberare, huic rei documento esse dicit restitutionem M. Marcelli. Haec igitur est loci sententia: „Denn wir alle, die wir in jenes Lager durch ein beklagenswerthes und verhängnissvolles Geschick des Staates getrieben wurden, sind jetzt, wenn uns auch der Vorwurf menschlicher Verirrung trifft, von der Anklage eines Verbrechens freigesprochen.“ — In novitate autem illius iuncturae „culpa erroris“ non esse, quod haereamus Weiskius docet his: „Permulta similiter iuncta cum magna emphaseos gravitate apud hunc ipsum Ciceronem et eius aequales leguntur, quorum novitate omnes delectamur: et recte quidem. Quid enim causae est, cur singula, quae nec verborum significationi, nec rerum naturae repugnent, et a magno quidem scribendi artifice profecta, repudiemus; bina vero, aut terna eiusmodi amplectamur? Non modo Latina lingua vix quidquam scribere possemus, sed ne patria quidem aliave, quae hodie in usu vitae versatur, commode uteremur, si tam dura lege devincti essemus. Actum esset profecto de eloquentia, si ob recte et breviter et sapienter dicta, quae apud alios scriptores non occurrant, optima optimorum scriptorum opera damnarentur.“

Iam vero, priusquam ad aliud quiddam transeamus, necesse erit, ut pauca addamus de emendatione, quae in recentioribus editionibus invenitur. Richterus et alii ante vocem „sedere“ particulam „at“ inserendam proponunt pro „a“ vel „ab“, quod in nonnullis libris manuscriptis exhibetur. Haec coniectura mihi omnino non probatur. Recepta enim illa particula multo languidior fit sermo; asyndeton, quod vocatur, sine dubio aptius est et plus habet ponderis. Accedit, quod emendatio nititur lectione, quae aperte prae se fert interpolationis speciem. Nemo enim, qui quidem rationem codicum, qualis sit perspexerit, dubitabit, quin illud „a“ vel „ab“ postea additum sit.

Ad §. 14 Wolfius haec adnotat: „Faërnus et Patricius expungi suadebant „socia“, in quo aliquid vidisse eos opinor. Certe adiectio vocis non habet Ciceronianam copiam;

neque alius probrorum scriptorum „consilia“ dixit „socia togae“ vel „armorum“. Nam quod eloquentia a Cicerone alicubi appellatur „pacis comes otiique socia,“ non ad quidvis aliud ea formula transferri potest; neque illo loco „socia“ dixit „togae.““

Quod posterius addere certe non prudentis erat. Cum enim vir doctus ea tantum Ciceroni tribuenda esse contendat, quae aliorum locorum ex eius scriptis desumptorum similitudine comprobentur, illo allato loco adversariis tamquam occasionem praebet, ab ipso arma mutuandi, quibus eiusmodi argutias repellant. Nam si eloquentia „pacis comes otiique socia“ Ciceronis est, etiam „consilia pacis socia“ eiusdem esse unusquisque, qui sincero utatur iudicio, concedere debet. Nam si res et notiones inter se non confligunt, si patitur usus, si analogia non repugnat, puto hoc esse pro argumento, Ciceronem sic loqui et scribere potuisse. — Sed ni fallor vir doctus non tam offendit in adiecto vocabulo „socia“ quam in vocabulo „togae“ pro „pace“ posito. — Usitatissimam fuisse Romanis metaphoram, qua „sagum“ vocabuli „belli“ munere fungeretur, qui mediocriter in legendis libris scriptorum Latinorum versatus sit, non ignorat. Saepius autem, opinor, vocabulum „togae“ pro „pacis“ voce adhibitum est. Sed audiamus ipsum Ciceronem hoc de usu statuentem. In oratione in Pis. cap. XXX. 73 haec: „Verum tamen, inquit, quoniam te non Aristarchum sed Phalarin grammaticum habemus — scire cupio, quid tandem in isto versu reprehendas „cedunt arma togae“ — „Tuae dicis, inquit, „togae summum imperatorem esse cessurum.“ Quid nunc te, asine, litteras doceam? non opus est verbis, sed fustibus. Non dixi hanc togam, qua sum amictus, nec arma scutum aut gladium unius imperatoris, sed quia pacis est insigne et otii toga, contra autem arma tumultus atque belli, poetarum more locutus hoc intelligi volui, bellum ac tumultum paci atque otio concessurum.“

His etiam huic, de quo agimus, loco Cicero ipse ita mihi patrocinari videtur, ut nostra non egeat defensione, praesertim cum omnia apte congruenterque dicta et singula eleganter sibi opposita sint.

In eadem §. Wolfius perstringit vocabulum „hominis“ tam nude positum pro Pompeio, ac nos inspicere iubet ea, quae adnotavit ad orat. post red. in Sen. cap. 9, ubi dicit: „si quis ornandus est, non sine adiectione quadam hominem, sed potius „virum“ Latini dicunt.“ Non assequor, quae sit h. l. Wolfii percensendi subtilitas. Cicero enim adeo non potuit nec voluit in hac oratione Pompeium ornare,

ut etiam vereretur coram Caesare eius nomen pronuntiare. — Sed ne recte quidem observavit vir doctus huius vocabuli usum. Quod et ex illa epistola Div. IV. 4 colligi potest, ubi haec vox de Marcello adhibita invenitur et ex eis exemplis, quae Wormius et Weiskius collegerunt. Div. VI. 6. Homo (Caesar) valde est acutus, intelligit te (Caecinam) hominem facile nobilissimum“ et q. sec. Orat. pro Arch. VI. 12. „Quaeris a nobis, cur tantopere hoc homine (Archia) delectemur?“ cf. Nep. XVIII. 2. In Verr. II. 47 et III. 23. Pro imp. Cn. Pomp. 15, 43 — 16, 47.

In §. 15 nescit Wolfius, quo referenda sint verba „Ex quo“, eaque profecta esse putat ex misera arte, qua orationis auctorem Ciceronianam dictionem aemulari studuisse censet. Hoc loco non parvum vir doctus agit triumphum; nam acerrimus orationis propugnator armis abiectis in eius sententiam concedit. Scilicet Wormio quoque „inconveniens videtur partium compositio, neque ulla arte aut interpretatione tollenda. Neque tamen confitetur, inde colligi posse, orationem ab alio, ac Cicerone compositam esse. Sed statuens, partem ultimam capitis quinti negligentia librarii transpositam esse, locum ita ad integrum restituere conatur, ut periodum, quae a verbis „ex quo“ incipit usque ad finem capitis inserat post verba §. 13 „bellum esse susceptum.“ Hac transpositione existimat non tantum huic loco consuli, sed etiam effici, ut initium cap. VI. „Atque huius quidem rei etc.“ in quo grammaticam relationem Wolfius desiderat, cum eis, quae proxime antecedant: „Eisdem cum capitis periculo sensi“ bene cohaereat. Quod quamquam ingeniose excogitatum est, tamen a probabilitate abhorret. Frustra enim quaero causam, qua librarius ductus esse videri possit, ut hanc periodum ex suo loco tolleret et in fine capitis poneret. Nec ad eam causam confugiendum est, ut dicamus, verba illa „Ex quo — quam vinceri“ unius paginae spatium explesse et hanc a librario parum attento initio omissam, deinde autem additam esse. Denique non opus esse mihi videtur illa coniectura; nam servato eo, quem praebent codices, enuntiatorum ordine, periodi non tam male sese excipiunt, ut partium compositionem a Ciceronis arte abhorrere dicenda sit. Nam grammaticam relationem verborum „huius rei“, quam Wolfius aut nullam aut nimium remotam esse dicit, non est, quod quaeramus. Spectant enim haec verba ad ea, quae proxime antecedunt „pacis auctores,“ atque ex his „huius rei M. Marcello sum testis, sponte apparet, oratorem dicere voluisse, se teste Marcellum et ipsum pacis auctorem vel potius pacis amantem semper

fuisse. Eius enim sensum addit orator et in pace et in bello semper cum suo congruisse. Itaque aptissime sententia, quae in est in §. 16 ad nectitur ad ea, quae antecedunt nec desideratur, si eorum quae orator §. 15 exposuerat, rationem habueris grammatica relatio formulae „Atque huius quidem rei." — Nec de eis, quae vir doctus ad transeundi formulam „Ex quo" adnotat, ei assentiendum videtur. Iam supra exposui, haec verba non ad certa quaedam enuntiati vocabula referenda esse, sed ad totam sententiam, quae antecedat, spectare; haud raro etiam remotiora respicere, denique fieri posse, ut ratio post talia sequatur, cum eam antecessisse putes. Se ipsum exposuerat Cicero nullo deprecante et reliquos amplissimos viros sibi ipsis et reipublicae a Caesare redditos esse; illum autem non hostes in curiam duxisse, nam iudicavisse, plerosque semper pacis amantes fuisse. Hanc potissimum causam, fuisse sibi videri, cur statim a Caesare restituerentur. Itaque facile intelligi addit, quae fuerit Caesaris de bello voluntas, cum pacis auctores conservandos censuisset. Quo iure igitur nexus sententiarum, qui ex periodis ea ratione, quae codicum auctoritate nitatur, collocatis oriatur, perstringatur vel reprehendatur, non video.

Etiam deinde §. 17, inquit Wolfius, haeremus in: „eadem acie", non enim antea de acie quadam vel pugna dictum est; et sive pugnam ad Thapsum sive Pharsalicam intelligas, scribendum adeo putes „conservavit", quos potuit."

Ad haec paene me taedet respondere. Tanto enim cavillandi studio ducitur vir doctus, ut non dubitet etiam perverse interpretando scriptoris verba orationem suspectam reddere. Quis unquam, quaero, hoc loco cogitavit de pugnis ad Thapsum et Pharsalum commissis? Nec Wolfium de proelio cogitaturum fuisse puto, nisi tam iniquo uteretur iudicio.

An fugit virum doctissimum, id quod iam tirones in scholis discunt, vocabulum „aciei" non modo „proelium" significare, sed etiam de militibus vel copiis instructis usurpari, et metaphorice dictum poni pro eorum numero, qui in dissensione aliqua ab hac alterave parte sint. — Rectissime a Cicerone ex eadem acie ei conservari dicuntur, qui Pompeii castra secuti erant ab eiusque partibus steterant. Similiter orator dicit pro Lig. §. 9 „eisdem in armis fui." — Caesar autem etiamtum non desierat ex Pompeianorum numero homines restituere et conservare. A vero igitur recessisset, Cicero, si scripsisset id, quod Wolfius proposuit: „conservavit, quos potuit." Sed vereor, ne iam

pluribus verbis usus sim, quam quibus opus sit ad tam inanem sententiam refellendam.

In §. 18, ubi Cicero ex comparatione victoriae Caesaris et victoriae, qualis futura fuisset, Pompeii, illius laudandi arcessit materiam, constructionem: „Alterius vero partis — victoriam" duram et perplexam Wolfius nuncupat et dubitat, num simile quid apud Ciceronem legatur: Plane contrarium iudicium hac de structura tulit Kalau, cuius supra mentionem feci. Hic enim hanc periodum numerat in eis exemplis, unde commode perspici possit Latinae linguae indoles. Neutri prorsus assentiendum mihi videtur. Habet sane haec constructio aliquid insolentiae, quod tamen et aliorum locorum similitudine defendi et singularem orationis naturam excusare possit. Structuram autem sic fere ortam esse puto. Orator in verbis „Alterius vero partis" plus momenti et ponderis inesse voluit, itaque in initio periodi collocavit ea sic perrecturus „nimis iracunda fuisset victoria." Insertis autem verbis, „nihil amplius dicam, quam id quod omnes verebamur" impetu oratorio seductus mutavit constructionem et illud enuntiatum verbo dicendi subiunxit. Similiter neglecta grammatica ratione Cicero scribit de Rep. I. §. 58: „si, ut Graeci dicunt, omnes aut Graios esse aut barbaras," quod exemplum iam Richterus attulit. Ac facile colligi possunt alii loci, qui quamquam haud scio an magis perplexum vel durius genus praebent constructionis, tamen nunquam Cicerone indigni iudicati sunt, velut Famil. XV. 6 „Ego vero vel gratulatione litterarum tuarum vel testimoniis sententiae dictae nihil est, quod me non assecutum putem."

Sed missa hac re, quae levioris momenti est, in eis potius defendendis operam ponamus, quae si recte a viro docto castigantur summoque oratore non digna iure iudicantur, apta sint ad totam orationem in dubitationem vocandam.

Ad §. 19. Wolfius haec adnotat: „Pleraque horum aequo animo legeremus, si Ciceronem hic legi nobis priora persuasissent. Neque vero desunt h. l., quae Cicero dicere aut scribere vix ac ne vix quidem potuisset. Inusitata est enim in vetustiore Latinitate structura haec: virtuti vel felicitati suae gratulari."

Nobis persuasum est, hic legi Ciceronem, eundemque scripsisse: „felicitati tuae gratulabere." Quod ut affirmemus, admonemur his duobus locis. Cic. Fam. IV. 8, 1: gratulari magis virtuti debeo, quam consolari dolorem tuum et IX. 14, 7 gratulari felicitati tuae cf. Quint. lib. VI. prooem. 8;

quae exempla docent, qualis fuerit Romanorum usus. Praeterea compares velim hac de re Krebs Antibarb. s. v. „gratulari.“

Iam vero videamus, num veriora vel probabiliora sint argumenta, quibus in cap. VII. evincere studeat vir doctus, genus dicendi orationis ab usu Tulliano prorsus abhorrere.

Ac primum quidem negat „Latine „provideri“ non magis posse suspicionem ullo sensu aut ulla constructionis ratione, quam „prospici“ seu „caveri“, cum auctor hoc significet „cavere, ne id eveniat, quod in suspicione erat positum.“

In verbo „providendi“ me quidem iudice nihil est, quod offendat. Saepissime enim habet notionem verbi „praecavendi“, quod cum ex aliis multis locis apparet, tum ex hoc Attic. II. 1, 6. „quod a me ita praecautum atque ita provisum est,“ ubi haec verba eadem vi coniuncta reperiuntur. Itaque in vocabulo „suspicionis“ inesse putandum est, quod Wolfio displicuerit. Huius vim non recte mihi videtur perspexisse. „Suspicio“ enim hoc loco non est res, quam Caesarem suspicari dicit Cicero, sed est opinio de insidiis Caesari paratis, ita ut: „quae (suspicio) nobis providenda est“ breviter dictum sit pro: quae ne existat, vel cuius oriundae ne iusta causa adsit, nobis providendum est.

Quem usum autem Latinorum ante oculos habuerit Wolfius, per quem illam constructionem ferri posse neget, ne divinando quidem assequor. Cf. Phil. II. 8, pro C. Rab. 2, §. 4.

Deinde rectam observationem usus Ciceroniani vir doctus inesse censet in Faërni adnotatione, qua vocabulum „cautionis“ bis positum perstrinxerit. Ad haec Wormius: „Vocabulum „cautionis“ bis positum h. l. probabilem, ad meum sensum, habet emphasin, neque Faërnum hoc debuit offendere, siquidem Cicero hanc verborum iterationem ponit in orationis luminibus (Orat. 39 et c. 15) ipsumque hoc genus frequentasse exemplis docet Quintil. IX. 3.“ — Qua defendendi ratione veretur Weiskius, ut loco satis subveniatur. Nullam figuram h. l. esse, sed necessariam fuisse verbi repetitionem, nam omisso illo vocabulo sententiam ambiguam futuram fuisse et obscuram, minus certe perspicuam. Quod negaverim. Omitti potuit salva sententia altero loco vocabulum, sed concedo, eo addito, concinnius et gravius fieri enuntiatum. Res autem ita comparata est, ut pro suo cuique sensu et iudicio de ea liceat statuere. Neque tamen praeter Faërnum et Wolfium, prudentior iudex, siquidem, qualis sit Ciceronis usus dicendi cognorit, in illo vocabulo „cautionis“ inhaerebit, ut in forma ab illius consuetudine aliena.

In eodem enuntiato Patricium Wolfius recte offendisse censet in copula „ut“ ad fingendam periodum negligenter subiecta. Scilicet nullius in fulcienda sua sententia vir doctus spernit auxilium, sed quaecunque a viris doctis contra orationem prolata sunt fere nullo discrimine arripit laetus, dummodo apta sint ad eam suspectam reddendam. — Iniuria autem hic locus reprehenditur; nam si recte verba interpretatus eris, non poteris non concedere, aptissime id, quod sequatur enuntiatum „si in alterutro parum prudens“ illa particula „ut“ subiunctum esse. Haec dicit orator: „Idem tibi et nobis timendum est, idem cavendum est, et tua cautio cum nostra tam arte coniuncta est, ut malim nimis timidus, quam parum prudens videri.“ Qua in sententia, quid languidi sit non intelligo. Hunc locum etiam apud Priscianum reperimus sed paullo mutatum. Ille enim, ubi de voce „alterutro“ agit, hoc exemplum affert his verbis (V. 12, 63) „quod si in alterutro peccandum sit, malim timidus, quam parum prudens videri.“ Peropportune sane accidit, ut haec verba ut Tulliana apud hunc grammaticum servarentur et recte in argumentorum numero referuntur, quibus comprobetur, hanc orationem Ciceronis esse, tamen ea magis integra esse, quam codicum scripturam, negaverim moris et rationis grammaticorum memor, qui quod magna volumina evolvere molestum erat, locis ipsis non inspectis memoria sua confisi verba scriptorum ad id, quod tractabant vocabulum, adscriberent. Nec opus est illa mutatione, cum ea, quae codices praebeant, aptissime dicta sint, nec quidquam habeant, quod languidum videri possit, aut ab elegantia Ciceronis abhorreat.

Similiter iudicandum est de verbis „an ex eo numero,“ quae et ipsa Ciceronis non esse Wolfius censet. Qua adnotatione Weiskius adductus esse videtur, ut coniectura loco mederi conaretur. Iussit enim „ex eorum numero“ scribi. Concedo, facile fieri potuisse, ut hoc quoque loco librarius, quem parum cautum et diligentem cognovimus, posteriorem pronominis syllabam omitteret. Neque tamen est, cur hoc putemus, cum id, quod in libris manuscriptis legatur, Ciceronis maxime proprium esse, haec, quae subieci exempla nobis persuadeant. Cf. Orat. p. Deiot. §. 24. „Ait nescio quem ex eo numero servum iudicatum. De leg. agr. cap. 14 extr. „ex eo numero, qui — consules fuerunt.“ Orat. p. Archia §. 31 „ex eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti atque dicti.“

Ceterum scriptura „hoc“ quam codices (G, E) praebent praeferenda videtur.

In §. 22. Wolfius eiusdem Patricii sententiam amplectitur, qui his verbis vocabulum „dumtaxat“ non suo loco esse comprobare studet: „Ego, inquit, ab istis „dumtaxat“ communibus periculis satis metuendum esse sentio: quid, si praeterea accedat scelus inimicorum? Ergo „dumtaxat“ hic valet τοὐλάχιστον, ut pro Dei c. I. in tuo dumtaxat periculo. Latini id alias exprimunt fere per saltem. Dixi autem „fere“: vix enim hoc ipso recte exprimitur, quod volo. Volo autem, isto locutionis genere non illud significari, nihil esse amplius, praeter casus ipsos communes humanos, quod extimescendum sit, sed potius illud: in casibus ipsis humanis satis inesse causam ad timorem, etiamsi nullus terror accedat ab inimicis.“ Quod Patricius alucinatur, non miror, quod autem eruditissimum virum suarum nugarum invenit socium, satis mirari non possum. Patricius neque totius loci sententiam perspexit, nec quid sibi vellet illa particula intellexit. Exposuerat antecedentibus Cicero, nullam esse timoris causam. Nam ex Caesarianis insidias non timendas esse, nec magis ex Pompeianis, qui quidem superessent, cum hi ex inimicis beneficiis Caesaris amicissimos eius facti essent. Itaque cum a neutra parte quidquam periculi immineret, casus tantum humanos et incertos valetudinis eventus extimescendos esse. Igitur illud „dumtaxat“ non vocabuli „saltem“ notionem habet, sed pro particula „tantum“ vel „tantummodo“ positum et vernaculo sermone per „nur“ vertendum est. Eadem significatione hoc vocabulum adhibitum est Cic. de Rep. II. 32 „consules potestatem haberent tempore dumtaxat annuam.“ Id. de nat. deor. I. 38, 107 „species dumtaxat obicitur quaedam“ ibid. 44, 123 lineamentis dumtaxat extremis cf. Cic. de orat. II. 27, 119.

Quae exempla docent, illud „dumtaxat“ h. l. ex usu Ciceronis usurpatum esse neque quidquam in eo esse offensionis. Neque Wolfius in eo offensurum fuisse puto, si suum iudicium ducem sequi, quam oratori iniquus ineptam Patricii sententiam amplecti maluisset.

Non magis integrum iudicem vir doctus se praebet in §. 25 percensenda. Vitiosum perstringit genus loquendi quod insit in verbis: „Credo, sed tum id audirem.“ Nam „credo“, inquit, per se plane est „audio“, „probo“, „persuades mihi.“ Quod cum dicitur, adiungi nulla debet talis conditio, „tum id audirem“ qua conditione statim tollitur id, quod acceptum et probatum erat. Ista enim sic intelligenda sunt, quasi dicas: „Credo, sed id crederem, si verum esset, quod videtur esse falsum: igitur, „Credo, sed non

credo; Audio, sed non audio.“ — Hoc est calumniari magis scriptorem, quam recte percensere, nam aliud est „credere“ aliud „audire“. Verbum credendi h. l. fere idem significat ac „non dubito“, verbum audiendi autem vim habet verbi „probandi“ vel „consentiendi“ ut saepe cf. Cic. p. Rosc. Amer. 18, 52. „Immo vero, inquit, est. Nam istum exheredare in animo habebat. Audio, nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat cf. Cic. Verr. II. 59, 60.“ — Similiter Terentius in Eunucho II. 3, 77 verbum illud adhibuit. „P. Capias tu illius vestem. C. Vestem? quid tum postea. P. pro illo te ducam C. Audio“ ad quae Donatus: „id est, libenter hoc admitto et consentio.“ — Haec exempla satis esse videntur ad demonstrandum, nec logicae rationi nec concinnitati sermonis illorum verborum coniunctionem repugnare. Haec enim efficitur satis probabilis sententia. „Non dubito, quin ita sentias, sed tum tantum id comprobarem et iure te illud dicere concederem, si tibi soli viveres.

Etiam in §. 26 Wolfius invenit, quae castigaret. Duos minutos errores sibi occurrere dicit in priore paragraphi parte; scilicet scribendum fuisse censet non „gloriam magnam“ sed mutato verborum ordine „magnam gloriam“: „nam „parum“, addit, propius iungi poscit adiectivo, ut „satis“ et „nimis“, qui frequens et constans usus est.“ Quod, quamquam recte observatum est, tamen non magis aptum est, quam alia multa, quae vir doctus contra hanc orationem protulit, ad nobis persuadendum, eam Claudio fatuo, quam Cicerone esse digniorem. Nam vocabulum „gloriam“, quod suo loco esse Wolfius negat, omnino non ab orationis auctore profectum esse, sed ab homine doctiore posterioris temporis adscriptum vel in verborum ordinem insertum esse, ut putemus compluribus causis commovemur. Ac primum quidem deest in codicibus G et E, quos iam supra haud raro veriorem scripturam servasse vidimus. Adde, quod illud vocabulum tam paucis interiectis verbis antecedit, ut sponte h. l. audiatur; nec certe auxisset orator eo addito sententiae gravitatem. Itaque haec Ciceronis esse contenderim: „Parumne igitur, inquies magnam relinquemus“, qua recepta scriptura nullus iam erit offensionis locus. — Nec minus confidenter vocabulum „cives“, quod in nonnullis libris manuscriptis exhibetur, interpolatoris manibus deberi dico, quamquam Wolfius, ut novam haberet reprehendendi ansam, servandum esse censuit, hac causa usus: „Restituendum puto illud „cives“ post „suos“ ne de familia cuiusque, de uxore, liberis, mentio facta videatur,

quos perpetuo usu Latini appellant suos." — Sic vero, addit, ex alia parte sine nostra culpa laborat oratio, siquidem iam molesta tautologia nascitur, „in suos cives, in patriam.""

Non laborasset oratio, si sincero iudicio vir doctus uti, quam hunc auctorem cavillari maluisset. Neque enim ignorasse putandus est, illius vocabuli usum non tam angustis finibus contineri. Romani non modo uxorem et liberos et eos, qui eiusdem familiae vel gentis erant „suos" nominabant, sed etiam omnes, quicunque aliquo necessitudinis aut familiaritatis vinculo coniuncti erant, vel quos aliquis beneficiis sibi conciliaverat, hoc nomine appellabant. Aptissime igitur orator progreditur ab hominibus artissimis vinculis coniunctis, ad patriam plures homines complectentem ad omne denique genus hominum, qui ubique sunt. Haec est causa, cur praeter Wolfium fere omnes editores illud „cives", ut ineptum additamentum omittendum esse statuerint. —

Ad idem cavillandi studium referendum videtur quod vir doctus in §. 28 formam „dicenda" ex quibusdam codicibus recepit, pro „ducenda" id, quod libri G, E praebent et solum Ciceronis esse apparet, quamquam hoc posterius ipse praeferendum et in hac sententia summo oratori usitatius esse concedit. Quocunque vertimur, iniqua nobis occurrit percensendi ratio.

Frustra adhuc quaero, quid sit, cur Wolfio constructio verbi „continetur" usui Tulliano contraria visa sit. Sed cum vir doctus operae pretium non duxerit, addere et accuratius exponere, cur illud genus vitiosum dicendum sit, nescio, quid ad tuendum illud verbum proferam, quod mea quidem sententia nulla eget defensione. — Facilius refelli possunt, quae Wolfius ad hoc enuntiatum. „Obstupescunt — legentes tuos" adnotavit. „Haec eam collocationem, inquit, habent, ut nemo certo sciat, utrum et fluvios, ad quas „pugnae innumerabiles" factae sunt, obstupescant posteri, an illa omnia, „imperia, provincias Rhenum etc. trahenda sint ad audientes et legentes".

Tirones orationes legere incipientes dubitare possunt, quo referant illa verba, ei autem, qui aliquantum profecerint in lingua Romana, ne paullum quidem dubitant, cum sciant, verbum „obstupescendi" apud prosae orationis scriptores non esse nisi neutrius significationis, nec cum accusativo coniungi. Nec interpretem generis Tulliani peritum fugere potest, illa participia „audientes et legentes" a tam eleganti scriptore absolute non posita esse nec poni potuisse. Accedit, quod vocabulum „tuos" post verbum „legentes" positum etiam

invitos nos cogit, ut verba illa omnia eo referamus, quo et loci sententia et usus Ciceronis ea referri iubet. — In eadem §. vir doctus ex sua more recepit „monumenta innumera", quamquam codices G, E, M. praebent „monumenta, munera"; qua lectione restituta non iam offendit adiectivum „innumera" tantillo intervallo post innumerabiles positum, nec quidquam erit, in quo minuta viri docti subtilitas haerere possit.

In §. 30 ea, quae apte congruenterque dicta sunt singularique concinnitate excellunt claudicare Wolfius dicit et egregiam in verbis variandis copiam, qua etiam aliis in orationibus Cicero floret, nimiam et molestam nuncupat συνωνυμίαν. Reprehendit enim antitheton duobus nominibus redditum „consiliis et studiis" atque verba „voluntates et studia", „sententiae et consilia" eodem fere sensu cumulatas esse dicit. Locum defenderem, nisi Tullianam dicendi consuetudinem tam aperte prae se ferret, ut satis pro se ipse loqui videretur.

In §. 31 Patricius primus in his verbis offendit. „Vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum"; nam non satis apte „fortunam" bonitati opponi censet. Unum Wolfium suae sententiae invenit socium, qui non solum hoc, sed etiam id, quod sequitur „bonitate lenire odium" reprehendit et absurdum iudicat. Meminisse debuit vir doctus eorum, quae orator §. 9 et §. 12 de victoriae insolentia exposuerat. Quod si fecisset, suo loco vocabulum „fortunae" esse intellexisset nec ineptam illam Patricii adnotationem secutus esset. Haec enim dixit orator: „Vicit is, qui non victoriae fortuna ad superbiam efferretur, aut ad ferocitatem adduceretur, sed qui pro sua mansuetudine et clementia iracundiam coërceret. Elegantissima est igitur in eis, quae codices Ciceronem dixisse testantur, sententia. —

Quid autem absurdi sit in formula „bonitate lenire odium" non video. „Bonitas" enim est „clementia a natura insita" (cf. p. Lig. §. 38), qua recte quis ductus dici potest irae vel odii impetum mollire aut alias animi cupidit atescohibere.

Nec in eo, quod subsequitur enuntiato Wolfii ratio mihi probatur. Nam quamquam confitetur verum vidisse Patricium et Gruterum statuentes praepositionem „ab" altero loco positam delendam esse, tamen Graevii sententiam secutus hanc particulam invitis codicibus omittere non audet, scilicet ut hoc quoque loco habeat, quod perstringat. Dubitat enim, num Latinum sit „arma ab aliquo eripere" neque quidquam probari putat exemplis ab Ernestio

allatis In. Verr. III. 48 et In. Vat. cap. 12. „Neque enim, inquit, si Romani dixerunt „ab aliquo pecuniam, frumentum eripere“ continuo sequitur, latinitatem ferre „arma ab aliquo erepta“ item alias res praecipue eas, quas quis in suo corpore tenet“. Ad quae Weiskius recte respondet haec: „Quin immo durius est, hoc adhiberi de rebus homine dissitis atque ita comparatis, ut eas brachiis complecti aut manibus prehensas tenere non possit; cuius generis sunt civitates, regiones, magna vis frumenti“.

Igitur hoc quoque loco Wolfius praecipere videtur Romanis, quomodo loquendum sit. Nos ex eis, quae ad nostra tempora venerunt, scriptis constituere studemus, qui fuerit eorum dicendi usus. „Eripitur aliquid ab aliquo“ ex Romanorum usu, si invito altero vel vi adhibita detrahitur, quod antea cum eo coniunctum fuerat. Quod ex his excemplis colligi potest. Cic. Div. II. 10. „Homerus Iovem inducit querentem, quod Sarpedonem filium a morte eripere non posset“. — Terent. Eunuch. IV. 6. 14. „Haec est, quam miles a me ereptum venit“. — Caes. „duae legiones a Caesare ereptae“. Sed quid plura ad id defendendum, quod usitatissimum Romanis fuisse nemo nescit.

Ad §. 32 Wolfius haec adnotat: „Ciceronianum fuisset „non modo sapientiae“. Nam et hae particulae „non solum“ et „non modo“ aliquid discriminis habent, quod in scholis explicandum est, aut, si adhuc ignotum est, minus occupato loco“. Vellem praestitisset vir doctus, quae promiserat in praefat. p. 38. Ibi enim dixerat, se scholam Latinitatis aperturum esse haud inutilem eis, qui recte et Latine scribere aut quale hoc esset, discere cuperent. Admodum sane dolendum est, quod propositi prorsus immemor discendi cupidos celat id, quod de harum particularum discrimine observavit. Certe maximam gratiam ei haberem, si operae pretium duxisset explicare, quid interesset inter illas particulas et quae esset causa, cur h. l. illud „non solum“ minus usui Tulliano convenire videretur. Grammatici enim, quamquam initio paullo diversas inter se fuisse particularum notiones, statuunt, tamen concedunt, Ciceronis temporibus fere nullo discrimine alteram pro altera positam esse, nec ipsum religiosum in eis adhibendis fuisse. Itaque non intelligo, cur illud „non solum“ minus aptum dicatur; id autem persuasum habeo, minus gratum futurum fuisse auribus, si dixisset orator: „Qui m o d o habent aliquid, non m o d o sapientiae et q. sec.

In postrema denique orationis parte largam castigandi

materiam suppeditabant viro docto menda, quae multa librariorum incuria irrepserunt. Sed singula videamus. Ac primum quidem Wolfius censet, Ciceronem melius hanc ultimam partem coniuncturum fuisse addita ad illam transeundi formulam particula „ut“. Quae offensio facile tollitur recepta ea scriptura, quam codices E. et M. praebent. „Sed ut unde est orsa“. Haec enim Ciceronis verba esse sine ulla dubitatione affirmaverim. —

Deinde verba „et quod volunt“, propter quae Wolfius dixit elucere illo loco cupiditatem verborum ad formam quandam Ciceronis copulandorum sine ulla perspicua aut apta sententia, illa verba, inquam, omittenda sunt, cum in optimis codicibus non exstent et aperte prae se ferant interpolationis speciem. Quae verba si eieceris, satis probabilis existet sententia, nec quidquam erit, quo illa viri docti reprehensio nitatur.

Nec magis Ciceronis esse videtur vocabulum „solum“, quod in nonnullis codd. post vocem „cuius“ legitur, et lubenter eis assentior, qui illud „solum“, quod etiam Wolfio offensioni erat, delendum esse censuerunt.

Iam vero restat, ut de §. 34 pauca addam. In qua vitiosam iudicat vir doctus esse constructionem: „quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello — cederem“. Iam ante eum Ernestius in hac structura inhaesit et loco coniiciendo subveniendum esse statuens particulam „ita“ post verbum fuit inserendam esse proposuit. Sed tunc sic quidem omnia apte cohaerere Wolfio videntur. Nec ego hac coniectura loco succurri posse puto, nam posito illo „ita“ non concinnior efficitur constructio, aut talis redditur, qualis hoc tam eleganti scriptore digna dicenda sit. De eo autem ei assentior, quod dixit, claudicare sententiam et structuram et enuntiatum „ut vix — cederem“ non ea arte adiungi, qua Cicero florere soleret. Et ipse persuasissimum habeo, locum mendo laborare aliquo, nam requiritur aliquid, quo illud „ut“ referatur, nec video, quid sibi velit vocabulum „semper“ cum voce „nota“ coniunctum, id quod nemini offendisse ante me, miror. Intercidisse igitur puto ante verbum „fuit“ vocabulum „t a n t a“ et ea, quae antecedunt verba hoc ordine in archetypo scripta fuisse „nota semper“, quam lectionem codd. F. et M. exhibent. Hac levissima mutatione efficitur et sententia et constructio, quam nemo dubitare possit Ciceroni tribuere. Aptissime enim ad illud „tanta“ adverbium „semper“ adiungitur et illud „ut“, habet, unde pendeat. Sed acquiescant in vulgari scriptura, quibus ea, quae libri manuscripti

praebent, non adeo a consuetudine et elegantia Ciceronis recedere videantur, ut ab illo dicendi artifice abiudicanda sint, quique satis probabilem illam sententiam esse iudicent.

Equidem qui ista ferri aut huic oratori imputari posse negaverim, non vereor, ne in audaciae crimen incurram illud „tanta" inserendum esse statuens, cum ipse Wolfius confitetur in hac postrema orationis parte multa librariorum culpa corrupta esse et haud exiguam partem eorum, quae reprehendenda sint, eis potius, quam orationis auctori tribuenda videri. —

In ultimo denique orationis enuntiato vitiosum videtur Wolfio genus constructionis: „Sic tibi gratias ago, — ut accesserit" atque in ipso discessu ridicule ruentis magistri esse. Wormius his „declamatori" illi succurrere conatur. „„Sic" non causali coniunctione refertur ad „accesserit", quasi gratiarum actione effectum esset, ut meritorum cumulus accederet: quo nihil potuit esse absurdius. Sed „sic" coniungendum est cum „ago gratias" et statum atque conditionem gratias agentis describit h. „cum tibi hodie gratias ago, sic sum constitutus, ea est rerum mearum ratio, ut — cumulus accesserit"".

Magis mihi probatur ratio interpretandi, qua Richterus hunc locum explicat. Censet enim „ut — accesserit" breviter dictum esse pro „ut accessisse confitear". — Quae structura, quamquam paullo insolentior est, tamen non prorsus a Romanorum usu abhorret, nam facile huius dictionis similia exempla et ex aliorum scriptorum et ex huius oratoris libris afferri possunt. Nec, etiamsi simile quid apud Ciceronem non inveniretur, dubitarem, huic ipsi iam ad finem properanti et verenti, ne iam plura locutus sit, quam pro loco et tempore liceat, tribuere potius, quam declamatori orationem omni diligentia adhibita componenti.

Iam vero cum in eo simus, ut ab oratione discedamus iterum brevibus complecti iuvat ea, quae hac dissertatione exposuimus. Multos locos demonstravimus, a viro docto non iusta causa castigatos et haud pauca vitia ficta esse. Eorum autem, quae revera offenderent, pleraque librariorum negligentiae aut emendandi vel explicandi studio tribuenda esse, evicisse nobis videmur. Quorum alia facile emendavimus, alia, quamquam pauca sunt, non contigit nobis probabili coniectura restituere, cum ita comparata sint, ut vix sine locupletioris codicis auxilio sanari possint. Nihil autem in oratione inesse intelleximus, quod nos cogeret, ut Ciceronis nomen in eius fronte delendum esse concederemus

eamque recte ab hoc oratore abiudicari. Quin immo omnibus partibus ingenium et dicendi copiam Ciceronis propriam elucere vidimus, nobisque persuasimus, non fictae aut fucatae artis specie homines doctos per tot saecula deceptos esse, sed suo iure hanc oratiunculam in pulcherrimis eloquentiae Tullianae exemplis retulisse. Nec Wolfium ipsum, affirmaverim, ex animi sententia Marcellianam Cicerone indignam iudicasse, sed conscribendis illis animadversionibus exemplum edere voluisse, quo deterreret in quaestionibus criticis ingenium exercentes, ne plus iusto suae doctrinae suoque arbitrio tribuerent et vera falsaque nullo discrimine perstringerent. Ipse enim in praefat. p. 40 dicit, licere lectoribus statuere, se ipsum non rem seriam egisse, sed hoc totum genus criticarum suspicionum, ne in imperitorum manus veniret, cavillando eludere voluisse.

Ego autem hoc satis praemii duco laboris mei, si etiam eis, qui adhuc Wolfii iudicio commoti dubitarent de huius orationis auctore magis magisque persuasisse dicar, longe plurima crimina ab illo in hanc collata ex illo cavillandi consilio profecta esse, orationemque ipsam dignissimam esse, quae Ciceroni tribuatur.
